

Strenæ Natalitiæ ACADEMIÆ OXONIENSIS IN *CELSISSIMUM* PRINCIPEM.



OXONII
E THEATRO SHELDONIANO.
An. Dom. CIↃIↃCLXXXVIII.


REGIA
GEORGIUS D.G. MAG. BR. FR. ET HIB. REX F.D.
J. P.
Sc.



Ad Regem.



Qui Res Britonum præſenti Numine firmas,
  Seu Pacis fuerit, ſeu Tibi Martis Amor.
Auſpice Te, ſua ſunt ſilveſtribus otia Muſis
  Cæſareiſque vacat laudibus omne nemus.
Præcipue Oxonium, pacis florentia dona
  Et colit, & ſentit muneris eſſe Tui.
Sume igitur Tibi quæ properamus carmina, Regum
  Semper amans, ſed & his ſemper amata cohors.
Sæpe Maria dedit Muſis opus utile, blandi
  Sæpe argumentum Carminis Anna fuit.
Has olim --- Nunc te Soboles vocat altera Patrem:
  Alter erit Muſis & Puer ille Labor.
Ante nec Infantis Cunas Rhedycina tacebit,
  Quam taceat Phœbum Delos, & Ida Jovem.
Ut ſimili Edvardos, Henricoſque ore reducit!
  Ut Nigri jam nunc Principis inſtar habet!
Ecce iterum inferri Celtis lachrymabile bellum!
  Atque iterum refugos vertere Gallus equos!

Quo

Quo fortuna vocat, quo belli vivida virtus,
Ibit, & in pugnam ſeque Patremque feret.
Quod ſi præſagos non fallant omina Vates,
Nec deſiderii credula Turba ſumus,
Ille Stator quondam noſtris acceſſerit Aris
Cumque Deo ſociam vindice junget opem
Sit bonus o! ſit Avi quo magna ſuperbiat Umbra!
Et ſibi præferri quem velit ipſa ſoror!

Gilb. Ironside

Vice-Cancel. Academiæ Oxon.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

SI quis Amor patriæ maneat ſtellure repoſtis,
Et functos ſtirpis cura ſequatur avos.
Chichleii ante omnes incedit grandior Umbra,
Hanc ubi ſidereo ſpectat ab axe diem.
Belli ille hortator videt altera bella moveri;
Qui Britonum lauros integret, alter erit.
En, ut Agincurti late campi oſſibus albent!
Ut ſatur Agricolæ ſanguine ſqualet Ager!
Vos Animæ, ob patriam pugnando vulnera paſſæ,
Vos, quibus exurgunt hi, mea cura, lares;
Expectate diem, veſtris cum miſerit Umbris
Inferias, Senonum corpora mille Puer.
I nunc, creſcentem irride Delphine juventam,
Et mittas teretes, arma jocoſa, pilas.
Altera tela minax, alios parat Atia proles,
Mœnia qui quatient Pariſiana, globos.

Leopold. Guil. Finch. Honoratiſſ. Com. de
Winchelſea Fil. Coll. Om. An. Cuſtos.

JAm Tacent cunis minus Inſolentes
Inſulæ divum pariter Feraces
Creta Deloſque, en melioris extat
Conſcia Partus
Albion, multa memoranda prole
Regia, multo veneranda Rege,
Rege nunc primum ſimul atque Prole
Inſula felix;
Cautus horreſcat ſobolem Jacobi
Belga navalis metuens ruinæ,
Si memor quantum, rate Diſſipata,
Æquore paſſus;
Hic Tener clades meditatur altas
Gloria prægnans animoſus Infans,
Et Recens, & vix utero ſolutus
Geſta Parentis,
Qui precis Multæ labor & Repoſtum
Munus, haud gentem Citius bearet;
Longa ſic prorſus ſuperi O rependant
Vota Britannis!

Hen. Maynard Honorat. Dom. *Maynard*
Baronis de Eſtaines Fil. è Coll. Nov.

DIcitur attonitas quondam fluitasse per undas
Delos, & ambigui legibus isse freti:
Cernere erat vasto nantes in gurgite Turres,
Et delubra uno nescia stare loco:
At simul hic uteri pondus Latona reliquit,
Hic natalem infans hausit Apollo diem,
Dat Deus immotamque coli & contemnere ventos,
Dat minus in Cunas æquora posse suas:
Inconcussa vago tandem stetit Insula ponto,
Hinc Mycone, hinc clausit dura Seriphos iter.
Accipe lætum omen Britonum gratissima tellus,
Quam sæpe in scopulos aspera vexit hyems:
Altera jam rediit Latona, atque alter Apollo;
Dent stabilem tandem sistere Fata pedem,
Nullus te ventus Tiberinas portet ad undas,
Nulla in Lemanos devehat aura sinus.
Stant circum Rupes. sunt Firma repagula legum,
Jacobique Fides obicis instar erit.
Hæc tibi pro Mycone fuerint, arctaque Seripho,
His Fide, & dubios temnere disce Notos.

Albemarle Bertie Honoratiss. Com. de Lindsey
Summi Angl. Camerar. Fil. è Coll. Univ.

QUæ dudum Imperii deflevit Fata Britanni,
Neglectam; repetit Diva Thalia chelyn;
Ecquos non animat nascentis Fama Patroni,
Gloria & Aonii jam rediviva chori?
Senserat hoc Latium, fama volitante per Alpes,
Thure colit superos Enthea turba Deos;
Hactenus ignotum est Britones cessisse Latinis,
Aut palmam Ausonium præripuisse melos.
Ergo Stuartæa ramum de stirpe novellum
I, dic ambobus nuncia Musa polis,
Cujus in extensa populus lætabitur umbra,
Gentis & ardores blandior aura reget;
Ito, sed Augusto prius officiosa Jacobo
Dic a Bellosito gaudia mille suo.

Joh. Trevelian Baron. è Coll. Wadh.

SPem Gentis magnæ, & devexi sera Jacobi
Gaudia, demissumque astris Heroa recentem
Grande opus, & dignum genio majore repandam,
Intus agente Deo. Jam nunc dare basia dextræ

Ridentis

Ridentis Pueri, & placido Patrem ore ferentis,
Aggrediar: Jam nunc Ego circum tempora parva
Aptabo Aonia decerptum ex arbore ramum,
Et Cunis hoc appendam haud ignobile carmen.
Sit Mihi fas insignem, Horam Momentaq; prima
Principis, atque ipsam versu describere Formam;
Qualis honos Ori augusto, quæ Gloria Frontem
Insidat lambens, fulvaque illuminet aura;
Quanto animo Gemmas etiam nunc temnat, & Ostrum
Quo tegitur, rutilo neque se miretur in Auro:
Sit mihi fas, modico Vati, memorare canendo
Talia, res haud maturas infantis Juli:
Namque olim quamprimum Illi robustior ætas
Arma dabit ferre, & fumantem in gramine aprico
Frangere Cornipedem, Regesque lacessere Bello;
Cedam equidem, & Bardis potioribus ista relinquam.
Eja, Puer; quam Te memorem non versibus æquis?
Digne labor Lunisque novem, tantæque Parentis
Deliquio non uno, & secta sæpius ulna.
Eja, Puer: Tune es, cui magnum Wallia nomen
Debet, & arrecto surgentes vertice Plumas?
Tune ille es, Quem clausum utero expectavimus ægri?
Quem jamdudum Orbis speraverat omnis, & omnis
Quondam armis & Marte potentem horrescet, ab Indo
Qui prope nascentis videt incunabula Phœbi
Infantemque diem primus miratur, ad Indum
Qui jacet occiduis longe disjunctus in oris;
Atque aliud cœlum, neque sydera nostra tuetur.
Quid non de tali Partu præsagiat augur,
Cui vitam infudit Latii decus, alma Maria,
Partem animæ ingentis tribuit Jacobus? Ab Illa
Multa Venus puero, & divinæ gratia formæ,
Heu, quam Virginibus damnosa futura Britannis!
Ast Genitor sublimem animam donavit, & ignem
Miscuit ingenio nati, Patriumque vigorem;
Ne quo forte modo, cum quondam sæva requirent
Bella virum, & molles terrebit Buccina matres,
Ille animo mitis composta pace recedat,
Sed potius per signa volans atque ære coruscus
Hortetur turmas, & equo delatus in Hostes
Occupet adversum Ductorem, & fundat arena:
Non secus ac quoties Vulcanus nobile Fulmen

Designat,

Designat, quod nec spernant Nemora alta, nec Arces,
Large addit flammas, & fœtam sulphure Naphtham,
Ex qua materia fertur finxisse Prometheus
Humanas animas; Illud siqua ab Jove missum
Exeat, extemplo tremefactum findit Olympum,
Mortalesque movet mentes, atque omnia sternit.
Certe siqua fides, neque nobis omen amicum
Blanditur, non parva Patri promittis & Anglis.
Alter erit Niger Edvardus; vehet altera classis
Delectos Heroas; erunt etiam altera Bella,
Et nova Cressiaco quæretur gloria campo,
Atque iterum captus damnabit fata Johannes.
Hæc me Musa jubet magnum vulgare per orbem
Augurio fidens, nam quando in luminis auras
Jam primum ingresso, grandi Tormenta boatu
Plauserunt, vocemque immanem, & murmura læta
Fuderunt Bombardæ omnes, magnalia Belli.
Ille aurem arrexit lætus, potuitque videri
Agnovisse sonum, & cessantem poscere rursus.
Jupiter haud ulli dedit integra dona; sed addit
Partem aliquam tristem, & sua munera temperat ipse.
Sentis, magne Puer; quem vixdum e ventre Parentis
Elapsum invasit morbus: Tota ilicet Aula
Curisque Planctuque & Fœmineo ululatu
Ingemuit: magnus suspendit vota Jacobus.
Sed Pater ex alto terras miseratus Olympo
Amovit luctum, Parcisque iratus iniquis
Jussit, ut aptarent meliori stamina fuso.

Guil. Dormer Baron. è Coll. Trin.

ECce pias tandem justissima Numina gentis
Audivere preces! ergo tuus, Anglia felix,
Post Famæ tam longa tuæ, laudumque tuarum
Funera, fit redivivus honos: tua gloria rursus
Nascitur, implebitque perenni nomine mundum.
En! tibi (siqua fides, nec spes blanditur inanis)
Una consurgens magnorum stemma nepotum
Sceptra diu, certaque manu, faustaque tenebit.
At tu, magne puer, quem tot pia vota sequuntur,
Angligenumque preces, votis par cresce tuorum,
Et prope lapsuri vivas solatia regni.

Tho. Lear Baron. e Coll. Wadh.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

COncutias hilares, exultans Wallia mentes:
Ne sis fortunæ nescia terra tuæ.
Optatum toties donum cœleste virili
Vagitu Princeps regia tecta replet.
Libera jam dantur populo suffragia. Quid vis?
Virtutes teneat Patris, Avique fidem.
Exultet circum votivas Anglia Flammas,
Dum mea sic grato Carmine Musa canit.
Prima Patri pietas debetur: proxima Nato:
Ille diu, huic olim sceptra gerenda regat.
Prosequitur Regis constans Academia partes,
Quam probet, haud minuat visve dolusve, fide.

Jo. Wodehouse Baronettus,
è Coll. Linc. Socio Commensal

ΖΕὺς μέγας ἐν κορυφαῖς ἐσσεῶν πολυπίδακος Ἴδης
Δεινὸν ἀνεβρόντησε· καὶ ἱερίῃ ἅμα φωνῇ
Εμμαπέως ἐκέλευσε μογοστόκον Εἰλείθυιαν
Σπεύσασαν Βασιλίσσῃ ἀρηγέμεναι αἰνὰ παθούσῃ,
Δηθὰ βαρυτλήτων λαγόνων περὶ φόρτον ἀγούσῃ·
Η δὲ καταιβήσασα φερέσβιον ὤπασεν ἄλκαρ,
Γαστέρος ὠκυτόκου ταχέως ὠδῖνας ἔλυσε,
Νηδύος ἐκ ῥαδινῆς ἔθορεν βρέφος ἀρτεμὲς αἶψα,
Εν πόλει ἀγλαόπαιδι πολυσπερέων Τρινοβάντων,
Οἱ μάκαρες πίνουσι Θαμῆς ῥόον ἀργυροδίνην,
Λωνδίνης δ' οἰκοῦσι δόμους ἑκατονταπύλοιο.
Τοῦτο θεοὶ ἐδίδουν πινυτοῖς μέγα θαῦμα Βρεταννοῖς.
Τίς, φίλε Παῖ, τεὸν Οὔνομ' ἔποι, Γενεῆντε διίξει;
Οὐ γὰρ ἐπιχθονίοισιν ἴσον καλέω σε τόκοισιν,
Ουδὲ χαμαιγενέος μεθέπεις βλάστημα γενέθλης,
Αλλά σε μᾶλλον παισὶ Διὸς Κρονίωνος ἐΐσκω.
Καὶ πολλῶν μετέπειτα κυλινδομένων λυκαβάντων,
Κῦδος ἔχων ἀρετήν τε παλαιγενέων Ηρώων,
Σὺ στεθερῆς πήξεις ἀτίνακτα θεμείλια γαίης,
Καὶ δυσὶν Εἰρήνην δώσεις ἀστεμφέα Νήσοις.
Ολβιος οὖν σε φυτεύσας ἔτ' Ολβίη ἣ τέκε Μήτηρ.

Hen. Beeston

Nov. Coll. Cust.

In Natalem

HActenus Applausus Populorum, & murmura vulgi,
Ipsaque bombardas vicerunt Jubila Plebis,
Magna quidem, sed enim ætatem quæ ferre recusent,
Cum flammis extincta suis, & sulphuris imbre.
Insequitur, Partesque suas Academia poscit,
Lætitiamque parat sæclis transferre futuris,
Et duraturas Vivaci Carmine voces:
Postque triumphales ignes, eductaque Cœlo
Busta, novaque magis radiantia Sydera flamma,
Jam Pater ipse suos Phœbus quoque suscitet ignes,
Noster & in laudes Helicon eat omnibus undis.
Jam liceat sacris testari gaudia Musis,
Lignorumque strui Crepitantes addere Laurus.
Magna quidem multis, Rex O Fortissime, bellis
Gesta tibi; Laus haud levis asseruisse Britannos
Ense tuos tibimet, victusque domesticus Hostis,
Excisumque brevi Patrium discrimine Bellum;
Nam Dunkerquensis labor est tibi puberis ævi
Pugna ferox, vernante tibi lanugine prima
Jam Batavos toto volitantes æquore fundis.
Sed si de Batavis numeres, Gallisque Tropæa,
(Namque Anglos tacuisse velis) plus pace sub ipsa
Plus præstat Regina Tibi, Victore Parensque
Major erit, Gravidusque uterus Pollentior armis.
Plus peperisse fuit Matrem, quam vincere Patrem,
Dum nova firmato ponit fundamina regno,
Et majore dedit nixum tibicine sceptrum
Fulciri, geminis Fratremque sororibus addit.
Jam nusquam proprio convulsa Britannia Fælix
Fluctuet Oceano, seris immobilis annis
Non ullis agitata marisve, suisve procellis.
Sic vaga stat quondam gemino Latonia sexu
Delos, dum partu conjunctus Apollo Dianæ est,
Amplius hic fulcrum, puer est geminæque sorores.

Ordiar unde prius! Genus alto à sanguine Divum
Magna Stuartiadæ simul Estensisque propago,
Queis dedit haud similes Arctoa, nec Itala Tellus,
Artibus Hæc belli præclara, sed Illa regendi.
Gloria summa Patris, summa est quoque Gratia Matris,
Consiliis & Marte Potens Hic, moribus Illa

Et

Et forma, Hic omnes alios, Hæc vicerit ipsum,
Vincet utrumque Puer: Quod tot meditata per annos
Fata, simul tanti Quod Progenuere Parentes,
Non poterit nasci nisi grande, morasque rependet;
Cætera nam Proles Præludia Principis Hujus,
Postque tot abruptas spes, crebra & funera, tandem,
Ut Matris lachrymas abstergat munere firmo,
Magnum aliquod molitur opus natura, suasque
Exercet vires, sæcloque ingentia spondet.
Nec vero soboles Præmortua perdidit annos
Ulla suos, sed in hunc fratrem bene transtulit illos,
Virtutesque suas, & tota revixit in Ipso.
Et cum sit parcis pretiosa morte litatum,
Hic sua nunc Princeps, alienaque tempora vivet,
Et quæ præripuit germanis, aurea nerit
Stamina Huic Lachesis, longeque hinc Atropon arcet.
Quantuscunque tamen sit noster origine Princeps,
Factis major erit, primæ dum maxima vitæ
A Matre hac exempla, dein maturior annis,
Tanto à Patre petens, Genitorum crescet alumnus;
Illa rudes animos primum formabit, adultos
Ille quidem, & propria signabit imagine natum
Bis pater, atque animum finget, post corpus, & ipsum.
Sed Tu, Magne puer, sub Tanto cresce Magistro,
Virtutemque Patris, verumque sequare laborem;
Fortunamque tuam, fælicibus editus astris,
Seu pacem, seu bella velit, seu ducat in hostem,
Seu præclara regat sancti consulta Senatus:
Sero ut cum tanti cedent tibi pondera regni,
Pace domi parta prius, Europamque per omnem,
Et tua tot populis vexilla sequentibus ultro,
Olim Te trepidis expectet Bosporus undis,
Adque tuos Enses Othomannica Luna laboret.

Guil. Levinz,

Coll. D. Johan. Bapt. Præses

& Græcæ Ling. Prof. Regius.

In Natalem

DOctrina [a] Proavum ſuperes, [b] Abavumque decora
Membrorum compage, exoptatiſſime Princeps.
Et [c] primos referas fato meliore Jacobos.
Et Proavo comitem tete Mavortius addas
Henrico Magno, ſi quis diſtringere ferrum
Olim commorit, vaginaque eripere enſem
Fulmineum, melius vero non tangere norit.
Sed poſitum potius pereat rubigine telum.
Florenteſque regas patria Virtute Britannos,
In cœlum tandem rediens quum ſerus abi'rit.

a *Jac.* 1. *Regum omnium doctiſſimum.* b *Henricum Scotiæ Regem, omnium illius ætatis formoſiſſimum. Buch. Hiſt. L.* 18. c *Proavum, Magn. Britanniæ Regem, ex febre nondum ſexagenarium occumbentem. & Tritavi Proavum, Scotiæ Regem longe optimum, à ſceleratiſſimis latronibus morte crudeliſſima, & omnibus bonis luctuoſa, affectum. Buch. Hiſt. L.* 10.

Byrom Eaton S. Th. Prof. & Aulæ Glouc. Princ.

SAlve blande puer, qui ſis majoribus amplis
Pacifico proavo, martyre cretus avo,
In quo conveniunt princeps validiſſimus armis,
Nec non Eſtenſis gloria ſumma domus.
Sis, inquam, ſalvus: Qui tanto ſtemmate fulget
Non eſt in facili dicere quantus erit.
Sit quantus narrabo tamen: Candore parentes
Filiolus ſuperat, ſi ſuperare queat.
Languidus eſt; referunt rabidus, rudis atque popellus;
Regna ferens humeris, languidus eſſe poteſt?
Immo vigetque valetque cæſtatis tempore natus,
Omne genus ſuccus cum bene coctus erat.
Fructibus influxum communem terra negabat,
Ut tenero infanti pectora firma daret.
Sic pariter flores tardabat, Pulchra Maria,
Ver, cadat ut gremio floſculus hicce tuo.
Gratulor ergo Tibi, Princeps, quod confluat in Te
Veris & Æſtatis Lux, Calor, atque Vigor.

Tho. Croſthwait S. T. D.
Coll. Regin. Socius.

SUmmum poſſe mori, cum fleverat Anglia, Regem,
Et *Stewartanam* poſſe perire Domum:
Blanda Britannorum Lucina miſerta querelæ,
Cura, ait, hunc Puerum, par erit Ille Patri;
Patri conſilio; ſpecioſe corpore Matri;
Progenie Proavis, par erit Ille ſuis.

Rob. Plot LL. D. è Coll Univ.
Muſæi *Ashmoleani* Cuſtos, & Prof. Chym.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

دان يا البشير بالسنة اجناس
حتي تفهم الخبر قبايل الناس ،،
كفي بك بشرا ان ولد الابن
ليعقوب لنا به منعة الياس ،،
قد رجونا فليكن رجاونا حقا
ان يشابه الاب بالفضل والباس ،،

Edw. Pococke
Ling. Hebr. & Arab. Professor.

NAscere, magne puer, quum lux altissima solis
Ingentem lento fundit ab axe diem:
Sic prodire decet, primoque hoc lumine adesse,
Qui ferat in summum regna Britanna decus.

Idem Arabice.

ولدت زهرة الولد الشريف
اذا تطلع شمس العلا اللطيف
كذاك يصلح ان ينشا الموال
الذي يرفع ملكه الي النيف ،،

E. Bernardus
S. Theol. & Astron. Prof.

Carmen Turcicum.

يا قتلو فرخزاد سعادتمند
نفس اوغلي اولاجق دولتمند
جوق سرور كتوررن خود اتانه
جوق فرح ايليمن خود انانه
ايلواوردو هپسي خواص وعوام
اون جالكلندرن شادي بو عام
حال صبيانلق جال حضوردر
حال مردلق اوشبو جال زوردر
وكر تنكري اوزوندري ويرن
كركدر شمدي راضي اولور سنن
عمر دراز باشد نسل بسيار باد
تخت شاه هميدون فيروزباد

Th. Hyde S. T. D. è Coll. Reginæ.

In Natalem

ANne ego tam felix? nostrisne indulsit ocellis
Hunc fortuna diem; qui Te dedit, Inclyte Princeps?
Te qui nobilitas, & das in carmina musam.
Te recitasse sat est, longique Poematis instar.
Ingens Historia est nomen proferre Jacobi;
Angliam, & Italiam, gentes complectitur omnes.
Natalis cum fama Tui clamoribus altis
Æthera pertigerit; Genii duxere choreas;
Visere quisque parans terram plaudentibus alis:
Ut valeat sobolis tutelam ambire Potentis.
Astræa intento perlustrans omnia vultu,
Ut vastum duplicata implebant gaudia cœlum!
Tandem avida læte rem totam devorat aure:
Illico deseruit cœlos, terrasque revisit;
Et Juvenem Heroem fixis amplexa lacertis.
Se vovet æternum sociamque ducemque futuram.
Relligio tantæ summa speculatur ab arce
Hospitis adventum: & tremulo ad cunabula gressu
Astræam sequitur, tendens ad sydera dextram:
Dum læva in teneros demissa est mollior artus:
Et sic experrectum Infantem voce locuta est.
Parce, Puer
Rebus in Angustis nostrum est comitarier Aulam:
Quando furor populi minitetur prælia regi;
Et solium invadat rabies fanatica sacrum.
Bis quatuor Caroli vexillum Martyris annos
Concomitans; tandem, ah! vidi; cum dira securis
Eripuit natis Patrem, nobisque Patronum.
Mox pede non tardo Carolum sequor ipsa secundum;
Cui me perpetuo conjunxi fædere amoris:
Exul cum ille fuit, memini, tunc exul & ipsa.
Ah! glandum (memini) jugulantum plumbeus imber
Certavit stygiis Illum mersisse sub undis:
Ast ego monstravi Regalis culmina Quercus,
In qua lethali latuit securus ab imbre.
Et soleo Justi non immemor esse Jacobi,
Vestri nunc magna Genitoris Prole beati:
Norit & Ille, olim fuerit quod turba rebellis,
Jura gubernandi exardens violare vetusta;
Nuper & Oxonium accinctis orarit in armis;
Ut virtus pro Rege, aut saltem vota valerent.

Hi

Hi tibi ſunt Patres: his tu majoribus ortus:
Nec te diſſimilem ſpero pietate vel armis.
Sic eris Oceani Dominus, ſic Gloria gentis.
Sic Ludovici olim rapies de vertice Palmas.
Infantilem Animam, ſtimulatam murmure famæ,
Vix potuit tenerum cohibere in limite corpus:
Utraque diſtentis porrexit brachia nervis;
Et tacito ridens optavit fortiter ore;
Quod firmata virum nunc Illum fecerit ætas.
Nec mora, Relligio abſceſſit, ſpe læta futuri
Temporis; & Pueri concluſit ſomnus ocellum.

Tho. Dunſtar
Coll. Wadh. Soc. Proc. Sen.

UMbroſæ nuper gradiens ſub tegmine ſylvæ,
Qua lætum zephyri ventilat aura nemus,
Aſpexi Famæ Motantes aera pennas
Quæ procul explicita grandia fronte tulit.
Eia age (diva inquit) feſtæ venere calendæ,
Hoc nullus meruit lætior ire dies.
Hæc lux prima videt naſcentem ſtirpe Jacobi,
Quem vix auderent poſcere vota Deos:
Quas ſibi venturas poſſim prædicere laurus?
Cujus erit noſter gloria parta labor:
Sic mihi gens Matris, proavorum & ſtemmata longa
Nota, mea toties concelabrata tuba.
Dixerat: atque meas aures jam plura volentes
Deſtituit celeri Diva ſuperba fuga.

Will. Chriſtmas
Coll. Nov. Soc. Proc. Jun.

In Natalem

גדול לך יום טוב גדול
מלך ואב כי יש עמו
חכם וגדול הן נגיד
לנו ורב אתה לנו

חבק מאד מן השמים
ברוך בשלש בן ילוד
ולד ואל חבר מלכות
עלי חבול לדת אדר

אתה אביך אביונה
גדול פאר ארץ עצום
כסוף ורב מן כל עבד
יש לו בך קרן ישע

קדם לאבות לא בנים
רבת וכסל עצב לב
זרע כבדות אז נתון
היה ברכות רב להן

كثيرا مملكة ونسب الفاضل
ويوم اشتهرك ابن القوم
وانت له حب وهو لسك الاه
لملك بك شن صار جاسرا
ابيك كبيرة مسية انت
للقوم الحمد والسلام ابدا
ان كثيرا ابـاو الجنس القديس
ذقوا وقارشون ان فرحوا،،

Jos. Fisher.
Coll. Reg. Socius.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

FOrtuna major rexisti sceptra, Jacobe,
Præsentemque tibi vidimus usque Deum.
In te nil Batavæ valuere tonitrua gentis:
Nil poterat mediis naufraga puppis aquis.
Vesani populi rabies fanatica cessit,
Nil poterant Terræ monstra, nec Oceani.

Nam Deus Angligenis miranda & Numine digna
Instituens, vastum tunc meditatus opus;
Ut tandem ipse dares similem tibi, votaque gentis
Expleret gravido casta Maria sinu.

Nascitur: incipiunt magni procedere menses,
Et fruitur genio Terra Britanna suo.
Ignigenam Thebæ Bacchum Phœbumque superba
Delos, mentitum jactet & Ida Jovem:
Æmula nostra suum jam profert insula, & uno
Principe conjunctos sentit adesse Deos.

Johan. Lusse Med. Prof. Reg.

DUM calamo Jacobum audax moliris, Apelles:
Æternumque struis nobilis artis opus:
Qualis erat magnis cum jam Turrenius ausis
Invidet, aut qualem Belgia victa timet:
Hinc, vario horrescunt simulacra minacia tractu,
Inde rudes Lauri ludit arundo notas.
Quin arctæ haud capient iratum Heroa Tabellæ,
Nec referet magnum debilis umbra Deum!
Quæ nempe armatum mortalis cura Tonantem
Spiret, & ætherias, conscia Phlegra, minas?
Quam male cœlestes mentitur flamma tumultus,
Quam fugit imbellem fulminis ala manum!
Ut similem pingas, primo jam parce Labori,
Atque alium in cunis pingere disce Jovem.

Jo. Meare Coll. Æn. Nas. P.

In Natalem

JAM tandem vicere preces, haud amplius aures
Vexamus Superum ſurdas; ſed numina ſponte
Conſpicimus flecti, facilemque in vota Tonantem.
Ah quoties ſacras mœſti pervenimus ædes,
Poſcentes ſuperos (ſiqua eſſet cura Britannum,
Siquis Amor) nolint permittere magna Stuartum
Nomina deſtitui, ſed blando ut numine natum
Concedant magno, tribuat cui ſceptra, Jacobo.
Talibus aſſidue fumant altaria votis,
Nec reſponſa Tonans dedit ulla ; aſt irrita verba
Reſpuit, & rapido diſpergi tradidit Euro.
Sed tandem omnipotens ſortis miſeratus iniquæ
Angligenum, è ſummi proſpectans culmine cæli
Mortales curas, effundi in vota Jacobum
Aſpicit & chari ſolamina poſcere nati.
Audiit ut primum divum Pater, ille repente
Annuit, & magnum nutu tremeſecit Olympum.
Protinus arridens pulchra de Pleiade natum
Acciri jubet, & præſentem his vocibus urget.
Eja age correptis, Caducifer impiger, alis,
Per liquidum qua tendit iter, qua pigra Triones
Plauſtra trahunt age vade, ſecaque interritus orbem
Ignitum, immenſaſque nives; tum deinde videbis
Arva per immenſum ridere Britannica pontum.
Mox pete quæ ſurgunt celſo Pallatia Regis
Vertice, quæ vulgus cognomine nuncupat alba.
Protinus offendes divina fronte Mariam
Prælucere ſuis, quanto Latonia virgo
Inter Hamadryadas lucet formoſa catervas.
Mollius admota tum ſtringes tempora virga
Prægnanti aſperſa ſucco, quem Cypria mater
Invenit, Paphiiſque ſciens eduxit ab herbis.
Fac deinde horteris magno ut comitata marito
Bathoniam tendat, lymphiſque tepentibus artus
Perfuſa exiguum referet ſub ventre Jacobum.
Dixerat omnipotens cum jam Cyllenius ales
Tranſierat ſuperum convexa, ac remige penna
Haud mora regales volucer perlabitur arces.
Juſſa deinde patris mox ſolvit, & ipſa Maria
Haud ſegnis tepidas iter inſtauravit ad undas.
Inſtinctu juvat ipſe Deus, virgaque fluenta
Exagitat, medicaſque undis admiſcuit herbas.

Nec

Nec ternos jam Luna ſuos compleverat orbes,
Sacratum ſceptri quando Regina futuri
Senſit onus, gaudetque ſuum renovare Jacobum
Spiranti effigie, qualem haud ſimulare valeret
Phidiacum cælum, aut depingere fucus Apellis
Jamque Dii o blandi! noſtras evaſit ad auras
Auguſtus puer, o quantos aget io triumphos
Anglia, præque armis o quantum Gallia noſtris
Contremet, Infantemque horrebit Belga Tonantem!
En! puer, ante tuas nutant Otomannica cunas
Sceptra, tuamque manet laurus Gemanica Frontem,
Te petiere, tuo ducti quaſi numine, Galli,
Haud queſti exilium, tanti fiducia ſceptri
Exhilarat, Rhodanumque ſuum dediſcere ſuadet.
En tibi quam niveo deeurrunt ſtamina filo!
Quam fauſtum nevere deæ! in Te nulla Rebellis
Moverit arma furor, Te nulla pericula fraudis
Juratæ obducent, veniet Tua ſub juga ſponte
Hoſtis amans, cupietque novo ſervire Jacobo.

Guil. Nicholls A.M. Coll. Mert. Soc.

CAntabunt alii Junoni nobile Carmen,
  Prægnantum partuſque miniſtræ.
Unum aliis opus Auguſtos celebrare Parentes;
  Seu flores componere Proli.
Nec rari, O Badiza, tui reticentur honores;
  Jucundo quocunque ut abundat,
Et ſolet, argumento Belloſitana Camœna.
  Me mage reddita publica vota,
Et plus ſollicitis reſoluta Britannia curis,
  Accepta & donaria Divæ:
Me plus templorum percuſſit imago triumphi,
  Et nemorum, Angelicæque choreæ, &
Omnia fauſta. Tamen miror ſuper omne Parentum
  Compar Prodigium pietatis,
Flectere fata valet, quaſi quæ nolentia flecti:
  Propoſuit ſecliſque futuris
Exemplum, veras pura importunaque ad aras
  Ecquid non devotio poſſit?
Conſuluere Trias; nec Vani thuris honores.
  Grata eſt hæc Violentia. Cœlum,
Quando aliis remanet non expugnabile telis,
  Sic rapitur juſtis; & iiſdem

Extor-

'Extorquere licet chariſſima dona Deorum.
 'Principem adoptatum Faciamus
Dixit: & in communia ovanti immittitur orbi
 Feſta, ſciant gens æmula quæque
Continuo hoc opus eſſe ſuum: ſtatimque frequentes
 Circum cantant carmina Nymphæ
Saltando, & ſacras gaudent attendere Cunas.
 Si fuerint Præludia cæli
Tanta, quid olim? Ohe Votorum ad ſumma beata
 Secla! Britannis gratius oris,
Grandius orbi vix potuit decus & miraclum
 Crediderim Trias ipſa dediſſe.
Plaudite & ambigui deponite nubila vultus,
 O ſocii comiteſque mearum
Fortunarum. Vivimus: & decernitur, omne
 Nunc læti vivemus in ævum.
Dii curant vulgo damnatos. Sanctius inde
 Nobiliuſque genus ſumus. Uno
Stamine tam divino ætas ſecura erit una:
 Sed populi vitamque fidemque,
Et pacem & rerum diſcrimina mille locari
 Undique & undique & undique eodem
Æternum, quæ fata negant, ſtatuere, reſurget
 Sero & opimo vulnere ſtamen.
Aurea perpetui Cantamus pignora regni,
 Innumeræque exordia gentis;
A qua uno avulſo, non deficit aureus alter.
 O freti melioribus ante
Nunquam, ſolvite vos vino, Citharaque; malorum
 Immenſum ſuperavimus æquor.

Johannes Auguſtinus Bernardus A. M.
Coll. Æn. Naſ. Soc. & Mor. Philoſ. Prælector. P.

TAndem Diva parens noſtris quæ præſidet oris,
 Ut quondam Iſaacum Sarais, Eva Sethum,
Obtinuit precibus Natum Regina Beatrix;
 Firmare Imperio Regna Britanna ſuo.
Quo partu omnipotens tribuit miſeratus ab alto
 Tantum non ſterili, nonque ſeni, ſobolem.
Hinc Rex & Regnum felicia vota tulere:
 Quod Natura nequit, præſtitit Autor, opus.

Tho. Deane A. M. & Coll. Univ. Soci.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

FAma teste, tibi elapsos, Jacobe, per annos
 A variis crevit Laurea multa plagis:
Succubuit captiva tuis Fortuna Trophæis,
 Tradidit æquoreus cærula regna Deus:
Tum latuit trepidus natali Belga palude,
 Occuluitque suum terra subacta caput.
Tuque pares numeras, formosa Maria, Triumphos,
 Et titulos famæ, qua patet orbis, habes.
Vos itaque ut lætis cœlum concesserat Anglis,
 Credideram majus nil potuisse dari:
Quin nova dona suis superi indulsere Britannis,
 Et similem natum vidit uterque parens.
Salve Magne Infans! utroque à sanguine Numen!
 Cui Mavors Genitor, mater & ipsa Venus.

Guil. Feilding.

Honoratiss. Com. *Denbigh*, fil.

è Coll. Reg.

NON ære rauco facta Tonitrua,
 Non ordinatæ per laquearia
 Festæ Lucernæ, non renidens
 Ignibus innumeris Platea,
Bono Diei tam memorabilem,
Addunt honorem, quam brevis arbitræ
 Plausus Camœnæ, nec Latina
 Arte carens genioque Versus.
Tuos labores, magna Puerpera,
Novamque Prolem non morientibus
 Mandabo chartis, quas futuro
 Posteritas leget omnis ævo.
En, auspicati murmura Barbiti
Auditis? O Tu, justa superbia
 Parentis Augustæ! O Beati
 Mascula progenies Jacobi!
Quando innocentes corpore firmior
Cunas relinques? quando minoribus
 Exibis annis, & virile
 Ingenium capies ab ævo?
Tunc forte Nostras nobilis incola
Intrabis Ædes; ut teneram indolem

F Pau-

Paulisper apponas togatæ.
Ingenuis studiis Minervæ:
Hic, civitatem quis deceat status;
Hic disputabis, quem teneat locum
Romana virtus; quos crearet
Sparta viros, faciles perire:
Quid Marte Pyrrhus, quid Fabius mora
Posset, quid Urbi proximus Hannibal,
Disces: Et evolves Tuorum,
Facta Patrum, bene nota Famæ.
Vacante quodam tempore, forsitan.
Hæc ipsa de Te carmina publica,
Hæc ipsa lecturus requires:
Ah, quid ab hoc calamo profectum,
Meisque Musis & tenui lyra,
Placere tanti judicio viri
Valebit? ah, quantum pudorem
Exiguæ facies Camœnæ?
Nec Tu Poetas, gloria seculi,
Contemne, Princeps, aut Citharæ sonum:
Per quam tot Heroes reposti
Sedibus æthereis quiescunt.
Theron, & Alcon, & Chromius vagæ
Doctus quadrigæ, & Diagoras pugil
Omnes in æternum jacerent
Sub tenebris, & honore cassi;
Ni digna cœlo nomina Pindarus
Versu fideli munierat satis,
Misertus illustres Amicos
Atque dati breve tempus ævi.

Geo. Dixon. Ædis Christi
Superioris Ordinis Commen.

DEponat pullam rediviva Britannia vestem,
Sat dederit fato, Carole magne, tuo,
Jam tandem tristi succedit gratior hora,
Gestit & ad placidos Musa redire modos,
Sublato pro Rege Heros par nascitur orbi,
Tam cito dii faciles, quæ rapuere, dabant,
Hinc animus rediit, tua sacra Genethlia Princeps,
Dant mihi, quas vires fregerat ante dolor.
Et jam vel totus festum sit Junius Anglis,
Una in Lætitiam non satis ampla dies.

Jacobus Worseley
Dni. *Jacobi Worseley* Equ. Aurat. Filius
Generoso-Commensalis Novi Coll.

NAtalem quamvis Alii flevere suorum,
Fas non est, infans Regie, flere tuum;
Nam dum, Nate dea, cœlo demitteris alto,
Quantum lætitiæ Scotus & Anglus habet!
Sed nec adhuc cesses, Jacobi Regia conjux,
Has gentes Multa prole beare tuas;
Ut cum Rex, tandem cœlis gratissimus hospes,
Gaudeat ætheriis Totus adesse locis,
Principibus nondum natis sua regna relinquat,
Nam Regi haud alios credimus esse Pares.

Lancelottus Lake.
Generoso-Commen. Novi Coll.

DIC mihi, Musa, Deus quis tanta hæc gaudia fecit?
Ille meos agnos postulat, ille preces.
Non Phaethonteus nos terreat amplius ignis,
Phœbo dat sobolem Diva Maria parem.
Qui, te, (sero precor) fatis cedente, Jacobe,
Tramite non dubio ducere possit equos.

Jo. Noell. Baronetti fil.
è Coll. Jesu.

VEnit læta dies; Vos, ô properate Camœnæ
Florea nascenti texere serta Deo.
Eja, & victrices ante omnia ponite lauros,
Laurorum quondam plurimus usus erit.

His super addantur querno de vimine rami,
Illæsi Caroli præmia Quercus habet.
Lilia sint juxta; manibus date lilia plenis,
Ut mordax Galli viscera livor edat.
Quas domus Eboraci, quas & Lancastrica gessit,
Vestra sit unanimes cura plicare Rosas.
Hinc candore nivem superent, simul inde rubescant,
Sic melius junctæ pignora gentis erunt.
Ferte & Narcissum, qui jam se temnere discat
Infantisque genis posthabuisse suas.
Forte Caledoniæ foret & sua gloria spinæ,
Ni lædat teneram, lædet & illa, cutem.
Sint procul Ajacis nati de vulnere flores
Illi expirantis nomina Regis habent.

Carolus Warwick ex Æde Christi
Superioris Ordinis commen.

CUM Dii sint faciles, Britonum cum vota secundent;
Et nostras audi, Parve Cupido, preces.
Eja puer, puerum niveis cape matris ab ulnis:
Et similem, Faber O sedule, finge tui
Blanditias, lepidosque una, tua munera, risus
Affer, & innocuos risibus adde sales.
Qualis erat puero nascenti Phosphorus, omnes
Tam lætis videat solibus ire dies,
Æquet Marte patrem, castas pietate sorores:
Et sanctum toto pectore spiret avum.
Quali Jacobum percussit Laura sagitta,
Haud alio Juvenem vulnere figat amor.
Quot numerant atavos prisci longo ordine Cambri,
Tam multa felix prole vocetur avus.
Quam fidos habuit quondam pater exul Achatas,
Tam sint Ascanio pectora fida domi.
Quot Britones numerant, & quot domus Atia lauros,
Tam crebo augustum surgat honore caput.
Denique cum patrio serus successit Olympo
Arma viri Musæ sint melioris opus.

Marcus Trevor, ex Æde Christi
Superioris Ordinis commen.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

NAscitur, & fletu Patriæque Polique parentem
Orat, ut illa sibi Lux sit amica, Puer.
Audivere preces Divum pater, & Britonum Rex.
Hic illi Terram spondet, at ille polum.
Autor uterque placet, placet utraque Gratia: solum
Restat ut ille simul possit utrisque frui.
Opportuna inter terramque polumque locata
Wallia stat, dubio sic loquiturque Jovi.
Ipsa tuis Regio sum proxima finibus: ipsa
Terminus imperii Cæsaris, atque tui.
Vertice tango polum, tango radice profundum,
Et pignus facie picta utriusque fero.
Hic Phœbus radios, hic se totum explicat orbi
Et minima, aut nulla nocte revisit aquas.
Hic divum interpres gemino commercia mundo,
Et commune Jovi limen utrique facit.
Hic regnet mecum: terraque poloque fruatur:
Ipsa illi Tellus. Ipsa & Olympus, ero.

Regina, Walliæ principem complexa, sic loquitur.

Triplex Mitra Caput nostrum licet Aurea cingat,
Et tria sint pedibus subdita Regna meis:
At tamen his major Mihi pendet ab ubere gemma,
Dona meos implent Nobiliora sinus.
Nam licet ante polo peperi tot numina: Wallis
Plus juvat hunc unum me peperisse Ducem.

Ad Reginam Dotariam.

Non ultra infando licet indulgere dolori,
Nec querulas noctes ducere sive dies.
Nascitur ille Puer, qui luctus tempora solvit,
Et reparat vitæ damna priora tuæ.
Tundere jam cesses repetito verbere pectus;
Pectore tam duro non jacet ille Puer.
Fletibus ora leves, atque oscula dulcia figas.
Oscula tam dulcis natus amara fugit.
Loro dextra vacet, vacet altera palma flagello,
Vix sit in amplexus utraque palma satis.
Nam Dextram nunc hic, nunc lævam sedulus ambit:
Atque exposcit opem mox utriusque simul.
Nunc illi arridet digitus, nunc aureus orbis,

Nunc & uterque placet, nunc & utrumq; tenet.
Hos agitet ſolos tua dextra ſiniſtraque luſus,
Nam placidus labor hic grandius urget opus.
Te puer incepit jamdudum agnoſcere Riſu,
Nec puerum Riſu reſpicis ipſa tuo?
Incipe; jam ſaltem Ridentem agnoſcere Riſu,
Et redama, ſi non noris amare prior.
Incipe; jam ride. Cui non riſere Parentes,
Nec Deus huic menſam dat, neque diva Torum.

At ſi ſtet viduis tua fletibus ora rigare,
Et Caroli æternum Fata dolere tui:
Aſpice, ut Anna ſuum generoſo pectore damnum
Fert, & natarum funera Fratre levat!
Aſpice, ut Auriacæ Generoſior altera terræ
Dux, tria Regna ſuo Fratre minora putat!
Et ſi te nondum, non hæc, non illa, nec Ambæ,
Nec Rex, nec Conjux, nec puer Ipſe poteſt
Inceptis revocare tenacibus: Aſpice cœlum!
Et diſce ex ipſo parcius imbre frui.
Ex ipſo lachrymis moderari diſce: ſepultum
Uſque ſuum nequeunt ſydera flere Jovem.

Walliæ Princeps Cognatis cinctus.

Stat medius Patremque inter Matremque Sororemque,
Hoſque ſibi æterno nectit amore puer.
Huc illum Genitor rapit, huc Genitrix, Soror illuc,
Quilibet & totum certat habere ſuum.
Occupat hic dextram, Lævam arripit illa, ſed ambas
Altera in amplexus tendit amica manus.
Una tamen pars reſtat adhuc intacta, Poetæ
Carmina quo currant Officioſa, Pedes.
Hos ego ſolum oro. Queis ſolis fulta Columnis
Æternum ſtabunt vel tria Regna Patris.

David Jones.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

Carmen Pastorale.

Meliboeus, Tityrus, Corydon, Interlocutores.

Mel. QUid solus Corydon recubans, sub frondibus ulmi,
Quid tantum quereris? vultuque subinde minaci
Suspiras? an te miserum fastidit Alexis?
Dum frustra sterilem sperando pascis amorem?
Surge miser, quantumque potes lugubria pelle,
Non locus hic moestis, procul hinc removeto dolorem.
Ecce redit memoranda dies, panduntur ab alto
Æthere felices anni, nova nascitur ætas.

Coryd. Carmina jamdudum (non quæ cantavimus olim
Cum lætus vigui jucundo flore juventæ,)
Volvimus, o Meliboee, sed hæc quæ serior ætas
Ruminat, & canis rugosa senecta capillis:
At mihi quos memoras annos? quæ nascitur ætas?
Incipe, dum primi suadet clementia solis,
Et matutinæ rutilant in gramine guttæ.

Tit. Quin age (si cupit hoc) in me mora non erit ulla,
Alternis dicamus, amant alterna Camoenæ.

Mel. Expectata diu, Corydon, lux alma refulget,
Expectata diu tandem venit inclyta proles
Cæsaris, atque ille est, quo nato, nascitur orbis,
Et novus & melior rerum contexitur ordo.

Tit. Cumque dies aderat, quo ventris læta secundi
Pignora, suspensis pareret Regina Britannis,
Jupiter e toto discussit nubila coelo,
Blandior arrisit roseis Aurora capillis,
Intonsoque magis radiabat vertice Phoebus;
Solus odoratis Zephyrus clementior alis
Lusit, & alternis flectebat nutibus auras,
Nullus erat Divum divini parcus honoris.

Mel. Nunc fovet infantem & resupinis sustinet ulnis
Pulchra parens, uterique sui miratur honores,
Et vocat ad visum digitis, atque oscula figit
Dulcia, formosisque quatit crepitacula palmis.

Tit. Solvitur in risum populus, vultuque sereno
Gaudet, ovat, gestit, tali sub prole triumphat.
Hic est cujus iners, audito nomine, tellus
Densat odore comas: stupefacta regerminat arbos.

Mel. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum
Hic graciles nostræ tondent arbusta capellæ,
Et nos secura saturi recubamus in umbra

Tit. Jam redit Angligenis, omni terrore, metuque
Alma Themis, positis; lætus nova gaudia mundus
Accipit, & niveis tandem pax aurea pennis
Descensura leves humeris circumligat alas.

Mel. Nunc varias ostendit opes, viridesque resumit
Terra comas, multoque simul cum gramine, campi
Purpureas passim violas, & candida passim
Lilia diffundunt, vitreisque e fontibus undæ
Argutos volvent, cursu crepitante susurros.

Tit. Nunc fervente die resonant per rura Cicadæ,
Et querulis mulcent lascivos cantibus agnos;
Nunc rigidi saliunt montes, hilaresque per agros
Luxuriant segetes, nunc rerum prodiga ridet
Mater, & insignes depingit ubique colores.

Coryd. Mira refers, jamjam velut ipso numine plenus
Me quatit, & mixtus subit inter gaudia terror.

Mel. Nos tamen interea tenerum mactabimus hœdum,
Nos subitæ pariter peragemus fercula cœnæ,
Ducemusque leves, posito cratere, choreas,
Frigidus e pratis donec discedere suadet
Hesperus, atque trahunt obscura crepuscula noctem.

Coryd. Di precor ut juvenis, quem vos (ni fallor) ab ipso
Æthere misistis, post longæ tempora vitæ
Usque regat populos, oblitaque regna Tonantis
Permittat superis, & serus Fulmina tractet.

Sam. Ball
Soc. Comm. è Coll. Trin.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

NUnc hilares, si quando, Deæ; nunc ludite Musæ,
Ludite Jacobum Patris, & Jovis incrementum,
Angligenum spem fecundam, atque utriusque Parentis
Delicias, toties Quem exoptavere Priorum,
Seraque Quem toties laudabunt secla Nepotum,
Ni vanæ augurium frustra docuere Camœnæ.
Regibus antiquis oriunde, & sanguine Divum
Heroum Princeps sate, jam virtute Parentum
Macte Tuaque esto, & dubiis succurrito rebus
Gentis adhuc trepidæ, satique pericula passæ,
Fortunæque vices omnes, quam Factio vulgi
Instabilis vel vexat adhuc, cervicibus Hydræ
Centenis, & quam dominandi insana libido,
Et Monumethææ rapuit contagio pestis.
Te vero nascente minas, & jurgia ponant
Troes, & adversi Tyrii, & tibi cedere docti
Felici Britonum Genio, sic omine miro,
Victor es in cunis, Tibi prima crepundia laurus,
Infans Pacifice, invidiam & rabiem malesuadam
Componens Proavis, Atavisque simillime! tantum
Pacis & augusto tantum decus enitet ore.
Sic olim Alcides laudi palmisque futuris
Omina prima dedit, serpentes Regius Infans
Binos in cunis superans, mortemque repellens,
Subrisit, gaudens maculis fulgentibus hostes
Cernere conspicuos, & pascere lumina visis;
Audaces Puer, ecce! manus injecit utrique
Fortiter & teneris contorsit colla lacertis,
Nequicquam iratis emittunt sibila linguis
Atque venenatis meditantur vulnera caudis,
Viribus haud æquis cedunt, divumque futurum
Infantem agnoscunt tantum Jove patre minorem.

R. Turner.
Coll. Wad. Comm.

NAscentis sileat Caroli miracula fama
Nec crepet in medio sidera visa die.
Dignus Regina partus, famæque libellis
Cui Phœbi æstivi gloria testis erat.
Fertilis Anglorum terram jam vere bearat
Inque aliam propere Phœbus iturus erat.

Sed mihi majus opus, ſine quo nil copia veris,
Reſtat, ait, ſine quo munera nulla dabo.
Angliaci ſpectator ero teſtiſque triumphi
Nunc eſt muneribus danda corona meis.
Naſcentem ſpectat puerum, nolenſque reverti
Cynthius ad charam vix cupit ire Thetin.
I Phœbe, hibernum jam nos, ſine, frigus adurat:
I, fer in Auſtrales gaudia noſtra plagas.
I, viſe ignotas terras, & inhoſpita regna,
Per loca ſola tibi cognita fama volet.
Et quando Heſperias feſſus deſcendis ad undas,
Dic madido populo, Numinibuſque freti;
Dic Pelagi dominum naſci, non longa videtur
Nox, non jam querimur ſero redire diem.
Parce Tuæ luci, noſtris micat ignibus æther
Et fruimur, te non adveniente, die.

Henricus Watkins.
A. B. Ædis Chriſti alumnus.

EXpectata adſunt tandem tibi gaudia, Cæſar,
Optatamque vides læta, Maria, diem.
Riſerunt ſuperi faciles, & vota dedere,
(Non mirum eſt placidos vos reperiſſe Deos.)
Naſcitur ecce novus divina ab origine Cæſar,
Audiit & noſtras invida Juno preces.
Scilicet extimuit tantas, Regina, querelas,
Et magis ingentem reſpicit illa Jovem.
En nunc læta duos videt inſula noſtra Jacobos,
En nunc eſt Heros unus, & alter erit.
Si formam ſpectes, & prima inſignia vultus,
Si nitidos oculos, purpureaſque genas.
Talis erat quondam, & ſic ora ferebat Adonis,
Quem molli excepit Cypria Diva ſinu.
Si majeſtatem, & virtutis ſigna futuræ
Inſpicis, & magnum quod nitet ore decus.
Talis erat ridens cum per cunabula preſſit
Alcides tenera monſtra tremenda manu.
Salve infans venerande, & proles vera Jacobi,
Salve etiam Auguſtæ prima columna domus.
Sis Patris ſimul & Patrui virtutibus auctus,
Plurimus & toto pectore vivat avus.

Pelling
Ædis Chriſti Alumnus.

Seriniss. Principis WALLIÆ.

QUod tandem exieris Princeps in luminis auras
Expectate diu, cumulantur gaudia nostro
Pectore. Te nobis Caroli vice Fata dederunt.
Stemmate Regali sic nunquam hæc sceptra carebunt,
Quod Galli fastum reprimat, Batavique lacertos
Frangat, & Æquorei capiat moderamina Regni.
Anni temporibus quando primordia vitæ
Nigri Edvardiadæ, & Jacobi prolis eisdem
Debentur; nomen par Fama illustret utrisque,
Atque ambos maneant parilis monumenta Triumphi.
Trans mare navigio secum victoria nostrum
Te vehat ipsa suo, & decoret tua tempora palmis.
Galli submittant cristas, & jura Britanni
Imperii agnoscant: iterum juga vestra Garumna,
Et Liger, & Rhodanus subeant, & Sequana vobis
Cedat, & Angliacis Majestas vincta catenis
Gallica, vestra olim victricia signa sequatur.

Tho. Prowse A. B.
è Coll. Trin.

NAscitur, illustri clarus de principe princeps
Nascitur & fidei Libertatisque futurus
Præsidium, sceptri Laus, virtutisque Triumphus;
Qualem Roma olim tranquilla pace regentem
Viderat Augustum, qualemque Britannia pridem
Vidit Avum, ac patruum nuper deflevit ademptum,
Qualem Læta videt patrem, Pater unicus omni
Sufficit exemplo, cujus vestigia solum
Vel longinqua sequi proh quanti Principis esset!
Hauriat hinc sacras justi moderaminis Artes,
Hinc petat exemplum quali virtute regendus
Orbis erit, quali Gentes frænentur habena.
Sic Cœlo populisque suis gratissimus ævum
Nestoris annosi ducat per secula, gaudens
Pacati semper placido moderamine Regni;
Scilicet hoc patris meruit Clementia, Matris
Hoc pietas, quidni votis hoc annuat Æther?

Sam. Tilly.
Coll, Wadh. Schol.

In Natalem

JAm non vulgares, Iſis, molire triumphos,
Auguſtos Iſis nunquam tacitura Stuartos.
Tu quoties crebris cumulaſti altaria donis
Multa rogens numen, cui vincla jugalia curæ;
At jam votivam ſuperis ſuſpende tabellam,
Sunt rata vota tibi, ſævique oblita doloris
Amplexu parvi gaudet Regina Jacobi.
Languentes dudum, priſcus vigor afflat ocellos,
Infans & charæ ſuſpenſus in oſcula matris
Numine jam ſpirat blando, viſumque tenellum
Miſcet parva quidem ſed vivida patris inago.
O etiam patrio vivat celebratus honore
Vivat canitie terris venerandus eadem.
Omen habet certe ſupera quod veſcitur aura
Tum primum, lætos æſtas cum pandat honores
Omnia cum vireant, cum formoſiſſimus annus.
Et vos felices optata prole parentes
Quos nunc Parca piis reſpexit mota querelis
En veſtræ valuere preces, victrixque Deorum
Fata movet pietas, quamvis nolentia flecti.
Proles chara datur ſenio, inconceſſa juventæ.
Si citius ſoboles nullo miranda daretur
Prodigio, ſanctis vix digna parentibus eſſet:
O quæ vita dabit, cui dat miracula partus?
I princeps, olim patrios imitare triumphos,
Et ſemper magni veſtigia patris adora:
Hic prima nondum indutus lanugine malas,
Invictis orbem per totum inclaruit armis,
Illius ad tonitru Batavi tremuere, Jacobum
Agnovit dominum ſummiſſis navita velis.
Te quoque Belga tremat, metuat rediviva Jacobi
Fulmina, cujus adhuc miſere conſervat hiantes
Ore cicatrices, vaſtæ & monumenta ruinæ.
Subjectus famulas Nereus tibi porrigat undas,
Ipſe tuo da jura mari.
Cumque Pater tandem divis miſcebitur ipſe
Divus (at O tarde ſacra ducite ſtamina Parcæ)
Aſſere tu noſtri jus immortale Monarchæ
Tu rege ſubjectum patriis virtutibus orbem.

Edmundus Smith.

Ædis Chriſti Commenſalis.

PEr te Romulidum virtus, & avita Jacobi
  Stemmata, sunt nati sanguine mista tui.
Sic iterum Latios condis, Regina, Triumphos,
  Ausoniosque feret terra Britanna duces.
Claruit Eois quondam domus Atia campis,
  Oenotrioque dedit dissita regna jugo:
Jam princeps, Rinalde, venit sublimior armis
  Abripietque tuis laurea serta comis.
Æmula succrescet virtus ab utroque parente,
  Suppeditatque suas ille vel illa vices.
Forte ruat Batavas pronus bellator ad arces,
  Et mansueta premat Belgicus ora leo:
Aut ferat extremas victricia signa per oras,
  Et devicta suas India reddat opes.
Sic late domitum stravit Tirynthius orbem,
  Et patris simulat dextera tela Jovis.
Sic pius Æneas fama super æthera notus
  Ex alto Veneris sanguine cretus erat
Cur, Regina, tuam superet Cythereia proles?
  Pulchrior Idalia stat tibi forma dea.

Geo. Conyers
Coll. D. Jo. Bapt. Socius.

CUm grata Angliacis florerent otia campis,
  Et nusquam populi vel leve murmur erat:
Ecce affert Regina novo nova gaudia partu,
  Regnaque felici prole Britanna beat.
Sic fugit insanos Alcedo regia fluctus;
  Nec nisi pacato parturit illa salo.
Auguror hinc etiam ventura in sæcula pacem,
  Atque Hostile veto Regna timere jugum.
Hoc partu eveniunt adeo miranda, putarim
  Salica jam superos jura probare Deos.

Petrus Mews Arm. Fil.
E Coll. D. Joh. Bapt. Gen. Comm.

In Natalem

ITo, *S*acerdos, indue nexiles
Aræ coronas; fumet odoribus
Acerra pinguis. quot Sabææ
Suppeditant Arabumve ſylvæ.
Stat, vota templis debita ſolvere;
Diviſque centum ſternere victimas,
Cornu ſuperbo quæ minantur
Dum pedibus feriunt arenam.
Hucuſque dira Principis optimi
Pro cæde, fato preſſa ſub aſpero,
Pœnas dedit probroſa tellus
Angligenum. Miſerans ab alto
Tandem ſerena fronte Britanniam
Aſpexit ultro Jupiter; irritas
Preces nec Auſter cum protervis
Flatibus abripuit per auras.
Nobis negatum ſæpius antehac,
Tandem benignis à Superis datur
Audire celſam vagientis
Dulce melos Pueri per aulam
Regis Jacobi; quo nec amantior
Unquam popelli ſceptra Britannica
Vibravit, externos nec inter
Audierat mage fortis hoſtes.

Car. Blake. A. B.

è Coll. D. Jo. Bap.

I, Thameſis, properante vado, dic Nuncius Orbi
Tot ſuperaſſe Hominum Thura, preceſque Deos.
Dic primum Oceano quod jam non deficit Alter
Qui regat, & Patrio det ſua vincla Mari:
Dein refer Europæ circum, ut Regum Atria longe
Cognati reboent nomine plena ſui.
Sed Conſanguineas Mutinæ cum proſpicis urbes,
I, cole, mille ſacro ſolve tributa Lari.
Hic ſtruit æternum belli Domus Alta triumphos
Majorum, hic Solymæ rapta trophæa vides,

Fac

Sereniſſ. Principis WALLIÆ.

Fac Domini ut nomen titulis ſuperaddat Avorum,
Non minor Alphonſo, crede, Jacobus erit.
Interea nos magna domi meditamur, & Orbes
Lætitiæ Angliaci millia ſigna parant.
Regali de Claſſe tonant Tormenta per undas,
Littoribus geminant Regia Caſtra ſonos.
Vix Pater agnorat, cum Tuæſis & ultima Thule
Audiit, & feſto ſtruxerat igne pyras.
Tam cito Cæſareæ non venit Nuncia palmæ
Fama, quam Io circum littora noſtra volat.
Errat ubique oculis Ævi prægnantis Imago
Aurea, & immenſos mox paritura dies.
Quot modo reſplendent in Principe Dona Parentum!
Hæc Genitrix Puero, dat Pater illa, ſuo;
A Patre Majeſtas ardet radiantis ocelli,
Stant roſeis Matris Lilia picta genis;
Ille animos ad Bella pares & Fulmina dextra
Sæva, paludatas frangere docta manus,
Illa dat, ut Martis nimii bene temperet Iras,
Mollia mellifluæ ſubdita Corda Lyræ.
Corda Cupidineis & non intacta ſagittis,
Pacis, & Idalidos ritibus apta Deæ.
O Regina parens, quid ſic miraris Alumnum?
Eſt Tua, quæ hoc ſpeculo dulcis Imago nitet.
Dumque inhians Formoſa Genis, legis oſcula, Nati,
Decerpis Veneres Ipſa reflexa Tuas.
Tu feſtina autem, & magnos imitare parentes,
Cæſar, & imberbis Victor ab Hoſte redi.
Cumque hinc Brutiadum Majorum æquaveris acta,
Illinc Atiacæ Geſta ſuperba Domus,
Siqua has inſpirat ſedes Dea, ſiquis Apollo eſt,
Non deerit Palmis juſta Thalia Tuis.
Tunc nos Carminibus nec vicerit Italus Orpheus
Godfredi inferior nec Tua Laurus erit.

R. Roach. A. B.

Coll. Di. Jo. Bapt. Socius.

In Natalem

BElla canant alii & crepitantia fulmina Martis,
Nos pacem & pacis Dominum, ſublime Jacobi
Et decus & prolem. Jam carmina fundite Muſæ
Qualia fudiſtis cum læta Britannia Fratres
Excepit Reduces; par noſtri eſt cauſa Triumphi.
Regia Progenies terris donata ſuperbe
Fulget, & Angliacæ inſtaurans diſpendia ſortis
Ereptum reparat Carolum, rigidaſque ſororum
Evertit leges, fato vel fortior ipſo.
Mutata eſt populi facies, nec mœſtus ut olim
Vultus, ubi nullum Aſcanium ſperare licebat.
Qualiter Argivi poſt longa pericula Belli
Devicta tandem Troja, revireſcere læti
Cœpere, & pronos ad ſydera tollere vultus
Pulvere conſperſi multo feſſique labore
Gratantur, qvamvis ſero, victricibus armis.
Dent ſuperi, ut longos Princeps provectus in annos
Maternos imitetur avos, gentemque ſequatur
Patris & utramvis cumulet bis victor honore.
Nomina Borſorum accendant, nec ſacra Trophæa
Negligat Alphonſi.
Tunc nec Belga ferox, nec ſæva ſuperbia Galli,
Aut Rex Auſtrali qui late fulminat orbe,
Injuſte audebit noſtram temerare quietem,
Anglia dum gemino gaudet rediviva Jocobo.

G. Dawes
E Coll. D. Jo. Bapt.

ACcipiat famulas Regina puerpera Muſas
Oxonii, atque addat gaudia noſtra ſuis.
Naſcitur Aſcanius, ludat, qui, parvulus Aula,
Et Patrem & priſcos pectore reddat Avos
Hoſtibus inviſas hilaris videt Anglia cunas,
Et ſibi præſentes credit habere Deos.
Magna Parens! alios fundant, precor, Atria Julos,
Atque tuum claudat garrula turba latus.
Invida ſic reparare potes diſpendia Fati,
Dum Patriæ Dominos ſufficis, alma, novos.
Rex Jacobe, tuis quæ non ſperanda Britannis
Cum tua ſic hoſtes arma torumque timent?

Nic. Zinzano
E Coll. D. Joh. Bapt.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

HUC, Jovis magni ſoboles, Camænæ,
Quæ virum laudes canitis potentum,
Huc ab umbroſis Heliconis oris
Vertite greſſus.
Ferte pro donis hederas virentes,
Ferte laurorum meritos honores;
Ducite & feſtas placidæ choreas,
Principe nato.
En, ut in cunis animoſus infans
Herculis ſpondet decus, ut virili
Ore ſpectandus perhibet futuræ
Omina pugnæ.
Quas habet Maurus jaculis ſuperbus,
Quas pharetratus tenet Indus, urbes,
Sentient iras Britonum, & Britanni
Cæſaris arma.
Audiet famam pelagi profundi
Rector, & ſubdet Tibi colla, Princeps,
Cum potens dextra ſpoliis ſuperbos
Egeris hoſtes.
Serius cœlum ſuperoſque viſas;
Pollicem Clotho patiens fatiget,
Ut diu tractes populi volentis,
Cæſar, habenas.

Geo. Bull
Ædis Chriſti alumnus.

ΧΑΙΡΕ Διόγνητος, μέγας ἐλπὶς πάτριδος αἴης,
Ὄψιμον ὃν ποθέει λαὸς ἄνακτα κρατεῖν·
Λείρια ῥᾶστα ῥόδοις συμπλέξεις λευκερυθραίοις,
Ῥᾶστα ῥόδοις σκόλυμον Σκοτικὸν Ἀγγλιακοῖς·
Ἀλλ᾽ εἰ σὺν τούτοις πλέξεις πανύφυλλον ἐλαίαν,
Δαίμονος Ἄρχοντος δαίμονες ἐσσόμεθα.

Γ. Β.

In Natalem

EN! tandem nutu cælesti prodiit Infans,
Gaudia præsentis populi, tutela futuri.
Astitit exultans Natura, Hæc Inclyta Proles
Nostrum (ait) est opus, & nostro producta labore;
Archetypum Pater est, & Patris imagine fulget:
Nempe mihi æternam volui sic quærere famam.
Macte ergo, ter Magne Puer, virtute Parentum,
Nascere dilectum Sydus gaudentibus Anglis,
Ede notam tanti generis, Teque assere Regno.
Sed spes nostra locum non est habitura (Britanni!)
Si modo divinus Regum Pater, atque hominum Rex
Dextræ difficiles teneræ committat habenas,
Regnorumque trium jus, quæ vix sustinet ipse
Cæsar; (& in terris quid Cæsare majus habetur?)
O! serus, Jacobe, redi conviva Deorum,
Hoc à Te petimus, nec possunt Fata negare;
Hoc det Patris amor, vel Nostro cede timori.

Dan. Sagitarry
è Coll. Wadh. Com.

ULtima Merlini venit jam carminis ætas,
Et rediit creta nobilitanda dies:
Expectata dies, divini conscia partus,
Qua rata sunt terris vota, Jacobe tua.
Jam nihil O Superi, querimur scelera ipsa nefasque;
Gaudia compensant quæ tulit illa dies.
Quicquid avus, quicquid perpessus Patruus, Angli
Principe concesso non meminere suo.
Scilicet egregius Steuarti nominis hæres.
Tristitiam nostro dispulit axe gravem.
Quæque prius nobis dederat, nunc Itala tellus
Ne Bruti pereat Stemma decusque, cavet.
Cambriacum non rursus erit sine pectore corpus,
Agnoscet dominum Cestria læta suum.
Cornubiæ plausus duplicabit montibus Echo;
Fulgebitque novum sydus in Orbe novo,
Jam nulla dicas contentos nocte Britannos
Quicquid erat noctis transtulit ille Puer.

Edvardus LLoyd.
e Coll. Jesu.

Sereniſſ. Principis WALLIÆ.

VIderat exanimis vicinas Anglia gentes
Orbi Cæſareum continuaſſe genus:
Nunc mihi Delphinum quantumvis, Gallia, veſtrum
Objice, & hæredem natio quæque, refert:
Si quem Jacobo præfers, patrem aſpice utrumque,
Illum Hominem dices, Hunc genuiſſe Deum.

Phil. Stubs
A B. e Coll. Wadh.

VIderat extinctam jam pene Britannia ſtirpem
Auguſtæ, Jacobe, domus, penituſque Stuartos
Declinaturos; cum Tu, ſpes unica regni,
Pulchra inſtaurabas illuſtre propagine nomen.

Heu! quoties crebris oneravimus æthera votis,
Ne ſine prole diu clementia numina regnum
Deſtituant, olim imperii quæ flectat habenas,
Cum Te aliud numen regnis cœleſtibus addant.

Ipſa gravem portans maturo pondere ventrem
Depoſuit Regina metus, ſubiitque dolores
Forti animo duros: certe tormenta levavit
Auguſtæ Princeps crudelia ſtirpis imago.

Ambiguum eſt quæ cauſa hilares diffundere cogat
Lætitia vultus Jacobum, an conjuge ſalva
Gaudia concipiat majora, an prole ſub auras
Luminis emiſſa, dum tendit ad æthera palmas.
'O quod ſceptra tenes cœli, & terreſtria regna
'Numen, ait, curas, quibus accumulabimus aras
'Muneribus ſacras? ſolvent quæ vota Britanni?

Jam vaga fama ruit, populique allabitur aures;
Pars ſtupet, & tanto cunctatur credere voto,
Pars ſua teſtatur geminato gaudia plauſu;
Infremuitque uno clamore Britannia tota.

At Te, ſola Patris ſpes, Illuſtriſſime Princeps,
Et cui Jacobus tradet moderamina regni,
Virtutes multæ exornent, ſimileſque paternis.

S. Dwight
Ædis Chriſti Commenſalis.

In Natalem

TE, Jacobe, tuos per cœrula regna Triumphos
Cum late jactare, & (qualem Græcia Xerxem
Mentitur) domitum sub vincula mittere pontum
Viderat, erepti deplorans damna Tridentis
Non reparanda, Deum questus Neptunus ad aures
Detulit, &, rerum vobis si nulla mearum
Cura subest, inquit, saltem succurrite vestris:
Regibus ut virtus, & gloria crescit in Anglis
Cernitis; ut laudes & fortia gesta Prioris
Proximus assidue Cæsar superare superbus
Gestit, successumque novis successibus urget:
Imperio Tellus jamdudum paret, & Æquor,
Et nunc restat iter cælo, vestrisque timendum est
Dii superi regnis, alius si venerit Hæres.
Assensit, sortem Fratris miseratus iniquam
Sollicitusque suæ Divum Moderator, & ira
Invidiaque furens, inter cunabula dulces
Eripuit pueris animas, statuitque tenellas
(Fecundo quoties partu Regina laborat)
Spes Patris & Patriæ nocti damnare profundæ;
Sed frustra: pietas ardens, & vivida virtus
Jam tandem vertere minas, & sæva Deorum
Concilia in melius; thalami tibi pignora Consors
Chara dedit, lætæ solatia sera Senectæ.
Ut placidus teneris indulget lusibus infans!
Ut petit amplexus, & matris ad oscula ridet!
Incipe, blande Puer, curas animumque virilem
Induere, & Cæsar jam nunc assuesce vocari.
Alciden nutricis adhuc imitare sub ulnis
Et famæ in primis sumas exordia cunis;
Nec tantum Herculea lætentur origine Thebæ,
Terra Britanna suo quantum se jactet Alumno,
Nec Delo Phœbi, aut Cretæ cessura Tonantis.
Si mihi tam longi maneant (quod deprecor) Anni,
Ut Patris suprema tui post fata superstim,
Quem Te suspiciam Princeps dulcissime? quales
Musa canet laudes, placidosque in pace triumphos?
Sic animum, sic ora geras augusta, serenos
Ut Patrui agnoscam tenera sub imagine vultus
Vivere, Magnanimumque putem juvenescere Patrem.

R. F.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

REgales partus, & dulcia pignora nati
Musa canit; Vos O, queis grata puerpera curæ est,
Cœlestes Divæ; placidum properate laborem
Reginæ, nostræque simul succurrite Musæ.
At Tu Prima veni, tenerorum Mater Amorum
Alma Venus, genetrixque hominum genetrixque ferarum,
Qua sine nil tellus nutrit, nil concipit æther.
Tu per quam claram Memmi Lucretius ornat
Progeniem, tales mihi præbe in carmine vires,
Carmina sed Domino majori & Principe digna.
Aspicis, ut veniat, blandis & vecta columbis
Descendat Regina Paphi, juxtaque Cupido
Parvulus ut multis succinctus Amoribus adstet!
Stertit Amor, dextrum sternutant omen Amores,
Fundere dum tales visa est Venus aurea voces.

" Macte esto Anglorum Domine, & Tu Regia Mater,
" Macte esto regnique, & Divi sanguinis Hæres,
" (Hæredem nam Dii Vobis & Fata dederunt)
" Felicem Lux hæc albo signanda lapillo
" Protulit infantem; Tibi Lux hæc, Anglia, Regem
" Venturum dedit, extremis qui protrahet undis
" Oceani imperium, solio & succedet Avito.
" Sic puer Ascanius paucis volventibus annis
" Sceptra Patris gessit, patrioque adolevit in ostro.
" Trojanusque licet (sic Dii voluere) Lavini
" Firmavit sedem, multa & vi muniit Albam,
" Inversus fatorum ordo est: nunc Matre Latina
" Exortus Princeps Trojam hanc & nobile regnum
" Æternis reget auspiciis, populumque Britannum
" Et maris & terræ dominum; pro pignore tanto
" Certatur; Matrem Latio de sanguine cretam
" Ausonii jactant, Te, Princeps, gaudet alumno
' Anglia, sic geminus Dominum Te vendicat orbis.

Dixit, & in tenues extemplo evanuit auras,
Stertit Amor, dextrum sternutant omen Amores,
Augurioque suo Veneris præsagia firmant.

J. Heywood
A B. Ædis Christi alumnus.

In Natalem

DEfinite Angliacas, Hollandi, inceſſere puppes;
Jam cohibete minas, & fœdæ opprobria linguæ.
Heu! fruſtra inſanas elato vertice criſtas
Dudum erexiſtis, credentes fulmina nulla
Veſtras poſſe rates diſrumpere, voſque paluſtres
Æquoreaſque animas nativis mergere in undis,
Dum longum læti audiſtis Regale Stuartum
Amplius haud ullos pariturum Stemma Tonantes.
Frangite decepti calamos, nec jam audeat ullus
Spargere futilium Pictorum imbellia probra;
Nemo dehinc Aciem Regalem impune laceſſet,
Noſtraque probroſis depinget caſtra tabellis:
Maturo ſceleri egregius jam naſcitur Ultor,
Qui quatiens Batavas ingenti claſſe paludes
Aſſeret Angliacæ deſpectos gentis honores:
Voſque maris late per veſtra elementa fugatos
Cladibus haud pictis faciet piguiſſe jocorum.
Jam longum imperium fas eſt ſperare, Britanni,
Munere divino data cum ſit Maſcula Proles
Quæ læte regni moderetur fræna Paterni:
Hæc reget æterno felices Stemmate gentes,
Perque Stuartæos tranſmittet ſera Nepotes
Præclaram invicti virtutem, animumque Jacobi.
Macte, Puer, patria virtute, & creſce timendus
Gentibus, antiqui ſceptri non degener Hæres:
Tandem tempus erit, cum quas Tua Cambria quercus
Præbeat, ignotis migrare jubebis in undis,
Teque Duce, expulſus Leo Belgicus, æquora linquens
Exul, limoſa timidum caput abdet in ulva.
Te, bellis clarus Pater excitet, æquoris olim
Magnanimus domitor, Batavumque interritus Hoſtis,
Qui cum velivola tabulatum claſſe Profundum
Invaſit, tremuit Nereus, poſitoque Tridente
Oceani agnovit Dominum. Genuina Propago,
Princeps, creſce tui Patris; ſicque omnibus oris
Terror erit, Tali regnante, Britannicus Orbis.

Sol. Naſh.

A. B. è Coll. Trin.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

NOcte jam pulsa, nebulisque sparsis,
Emicat tandem Radiis corusca
Lux, & effulget nitidus sereno
Æthere Phœbus.

Huc Oves centum (pia dona) ferte,
Huc Boves centum, totidemque cervos;
Numinum sacras oneremus aras
Thure frequenti:

Summe tu Divum, tibi fumet ara
Victimis, nostris precibus faventi;
Tuque qui Mundum reficis benigno
Lumine Titan.

Nascitur Gentis columen Britannæ
Aurea crines radiante flamma:
Nascitur qui non peritura patris
Sceptra tenebit.

O satis nunquam veneranda terris
Hora! non ullo reticenda Seclo
Candido, te olim merito notabit
Fama lapillo.

Hinc procul diræ, procul ite curæ
Hinc procul vos terribilis malorum
Turba: nos vino madidi, dolorum
Pellimus umbras.

Vivat extento puer almus ævo:
Vivat illustris soboles Jacobi.
Sit potens Regni simul ac paterni
Numinis Hæres.

Johan. Humphrys.
Coll. Trin.

IBam forte via, nostram quæ ducit ad Urbem,
Anxius & meditans. Dulcis vox venit ad aures;
Talibus audivi lætari & vocibus omnes:
Hæc est fausta dies, quæ magni conscia partus;
Nunc tandem movere Deum pia vota; Querelas,
Orba diu Puero de stirpe Britannia Regum,
Pone tuas: nova spes Cœlo demittitur alto.

Hæc

Hæc & plura loquens crebra undique turba ruebat;
Late omnes placido geſtabant gaudia vultu:
Jam pene eſt deſerta ſuis domus omnis ubique,
Dum vacat à curis dominus, lætoſque Triumphos
Inter agit turbas numeroſas; gaudia quarum
Teſtantur multæ, queis implent æthera, grates.
Vidi ego: ſed tandem redii, qua me via duxit.
Dum nova lætantem pertentant gaudia mentem,
Hanc ſtatuo celebrare diem; quæ (Feſta per æva
Omnia erit) Te, Dive Puer dedit alma Britannis:
Te quoque, quam vellem digno Te tollere verſu!
Sed bene non novi; promittat Patris Imago
Magna licet: Laudes neſcit mea Muſa futuras
Dicere, creſcentis ſolum læta omine famæ,
Dum placidos inſtare Britannis aſpicit annos.
Veridicus monuit me talibus Augur Apollo.
Aurea quid jactant Veteres ſua Secla? Futura
Vaticinor (tu crede mihi) meliora Britannis.
En, quæ tot laudant, habuere incommoda Secla:
Tempora ſed venient, quæ nulla incommoda noſcent.
Magna quidem Soboles nata eſt, chariſſima cœli
Cura Piis. Divine Puer, juvenilibus annis
Præmatura Tibi Pietas & Regia Virtus
Creſcet; & Illa dabit defuncti Sceptra Parentis,
Abripient cum fata ſuis adverſa Britannis:
(Abripiant ſed ſera, precor:) Te Rege, redibit
Et Virtus, Pietaſque, Fides & priſtina Patrum.
Sub tam Rege Pio quis non imitator honeſti?
Sectatorque Tui quis noſcet criminis uſum?
Tuque tuos populos placida ſub pace tenebis·
Tu Pater, & Cuſtos Humanæ Gentis, ubique
Arbiter Armorum dicere: & Fama volabit
Per Mare, per terras, Sol quaſcunque aſpicit, omnes:
Imperiumque tuum late dominabitur Orbi,
Perque annos longos felicia Regna manebunt.
Dixerat, & ſeſe ſuperas evexit ad auras.

Wright Ædis Chriſti alumnus.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

AUgustos uteri, felix Regina, Triumphos
Da musis celebrare; Pias Heliconidas Aulam
(Ne sævi) in mediam passim spectare ruentes;
Cum genitrix, Dea, Quando deus spectabilis Infans.
Non secus in Villis Agrestis turba relinquit
Stramineas sedes, & delectamina parvi
Tegminis, in Cœlo quoties flammare cometam
Cernimus, & miram signare vel Aera Lucem.
Venimus huc oculis prægnantibus illius ora
Herculei Infantis mirari, huc venimus astro
Ceu quodam ducti, pueri incunabula Regis,
Utque recens numen cunis veneremur in ipsis.
Oxonium sua dona litat; Vatumque Camœnæ
Thura ferunt: (& habent vatum sua thura Camœnæ.)
Si poterant meliora dari, en! meliora tulissent
Dona, sed hæc nostrum pia Vectigalia Cordum.
Sic indigna Deo Reges libamina nato
Thura dedere Magi, Cœli quando Auspice stella
Hæc sua divinis pendebant munera Cunis.
Et, Regina, tui quam diis placuere labores?
Cum tuus intumuit divino pondere venter
Consimili, steteratque, velut Berecynthia Mater,
Illa ubi diva Deos Cœlo enixura gemellos;
Hæc tamen elapsa est Moles divina repente
Principis; haud potuit Lucina benignior esse.
Obstupuere diu proceres, Pater ipse Jacobus
Obstupuit, tantam miratus Condere prolem
Posse virum. --- sic sic postquam Deus ipse volumen
Naturæ immensum produxerat, ille labores
Miratur, laudatque suos, numenque fatetur.
Credideram (nec vana Fides,) superesse Britannis
Infantem, in Cunis qui plusquam Victor ovaret;
Qui dextra Herculea populos Anguesq; rebelles,
Atque Hydras regni, infidos Belgasque domaret.
Ille tener Princeps, cui larga Encomia Famæ,
Et plausum ingentem natalia sydera debent,
Vivit, adhuc Victurus; & Immortalis haberi
Debuit, in lucem quem tu Regina tulisti
Diva potens; invicta dedit cui stamina vitæ,
Longaque pollicitus naturæ secla Jacobus.

Bonfidius Trimnil A. B. è Coll. Nov. Soc.

In Natalem

DElphis canorum qui Tripodem tenes
Delphis futuri præſcius incola;
Almæque Lucinæ gemelle,
Menſe redux gravidis noveno:
Te, Phœbe, Cancro vidimus hoſpitem,
Auguſtiori lumine gaudia
Extendere optanti Britanno: &
Te bene ſolſtitium decebat.
Nil orbe noſtro cum radiis datur
Majus tueri; jam redeas licet,
Regemque prænarres tremendum,
Circumages ubicunque currus.
Quandoque cœli Funera Principum
Mœſti parentant ſydere præfico:
Quin ſtirpis eſt ſolum Stuartæ
Sic monitas habuiſſe cunas.
Prælufit olim ſtellula Carolo:
Naſcente te vero, Archetypum jubar
Solis, nec inviti miniſtri,
Ad Boreæ famulatur oras.

Phil. Biſſe è Coll. Nov. Soc.

PRomittant Batavi, promittat Cimbria prolem,
Natarum penſas nunc, Jacobe, moram.
Divinum, depreſſa diu ſine Principe, munus,
Ludloa finitimis invidioſa, cape:
Lætitiam agnoſcat lux magni conſcia partus,
Creſcentes minuat victima multa Greges:
Pro nato mittis dum vota, paciſcere Cœlo
Ut vehat ad ſuperos ſerior hora Patrem,
Cui longa optatum dederit niſi vita nepotem,
Qui tibi ſit Princeps, Wallia, nullus erit.

Jo. Edwards Ædis Chriſti Alumnus.

Sereniss. Principis WALLIÆ

JAm Vieus magno plausu fremit omnis: ubique
Index lætitiæ fertur ad astra sonus.
Vos hilares puero jam nato plaudite Musæ;
Infanti Regis carmina grata date.
Felix illa dies quæ magni conscia partus,
Hæredem regno, gaudia nostra, dedit.
Fortibus & justis, fortes justique creantur,
Ergo Hæres Regni fortis & æquus erit.
Felix illa domus lætis quæ præstitit Anglis,
Plus quam stellifero Creta beata polo.
Vos tenero Regis nato bona fata sorores,
Stamina Fatidicæ candida multa date.
Dii servate precor Regi sua vota: diuque
Imperium regat hic cum seniore senex.
Auspiciis bellum Juvenis gerat iste paternis,
Et victor multa cæde cruentus eat.
Nos agimus læti tanto pro munere grates,
Non sunt, quæ tribuat nunc meliora Deus.

Bernardus Gilpin è Coll. Trin.

QUam primum gravidam Reginam Fama tulisset,
Æmula sunt populo Jubila quanta pio!
Maluit esse Marem pars hæc, pars illa puellam,
Sexus uterque, Dea jam pariente, placet.
Addubitans ibam consultum oracula Phœbi,
Talia dulciloquus verba deditque Deus.
Rursus io Regina parit, partuque Triumphat,
Namque parit (sic, sic Dii voluere) Marem.
Principe felices se jactant Cambro-Britanni,
Rege tamen potius Terra Britanna suo.
Excipiunt Angli, Galli, Hibernique Scotique,
Solum vel Lachrymis Gaudia tanta piis.
Macte tua tandem Regali prole, Jacobe,
Macte puerperio tuque, Maria, tuo:
Macte Salute, puer; risu cognoscito Matrem,
Inde tua, felix Anglia, Macte Fide.

Car. Jones è Coll. Nov. Soc.

In Natalem

DIi tandem audivere preces, quas fuderat olim.
    Anglia, nec ventis irrita vota dedit.
Juno, quæ tanquam Danais, modo ſæva Britannis
    Viſa eſt, Brute, tuum perdere velle genus:
Jam placata favet nobis Saturnia; vivam
    Effigiem patris, Diva Maria, paris.
Fata diu meditata parem tibi, Maxime Cæſar,
    Tot dotes uni vix potuere dare.
Tantum animi robur vix eſt imitabile cœlo,
    Quamvis Mars currus, ægida Pallas habet.
Huic ſua quiſque Deus dat dona, ſtupentibus aſtris;
    Fingere perfectum non levis iſte labor.
Jam nihil o ſuperi qnerimur, mora longa Britannis
    Hac mercede placet, profuit iſta magis.
Salve magna patris ſoboles, gratiſſima terris,
    Accipias plauſus, quos tria Regna dabunt.
Sis Bonus, o felixque tuis! jam ſpondet ab annis
    Multum tam teneris Anglia tota ſibi.
Cambria læta tibi, Princeps, concedit habenas,
    Cum Scotia & faſces mittit Ierna ſuos.
Fama novas humeris jamdudum aptaverat alas,
    Nec celerem in laudes ſe putat eſſe ſatis.
Fac reſonet tantum terris tua facta, nec aſtra
    Auſcultent, rapiant ne ſua dona cito.

Ed. Lilly A. B. è Coll. D. Joh. Bapt.

JAm moveant nullos cœli portenta furores,
    Nec jactet ſolitas ſydus inane minas;
Non erit inſano jam tanta licentia cœlo,
    Ut fallat longis gaudia noſtra moris,
Naſcitur, & vivit, qui Belgas terreat Infans,
    Naſcitur, & patriæ terror amorque ſuæ.
Hæc ſit ſacra dies tam magni conſcia partus,
    Et ſileat vanos lingua profana jocos.
Tu ſtirps magna patris, vivas, ut ſecula cures,
    Sitque ſub Auſpiciis Anglia tuta tuis.

Tho. Pittys è Coll. Trin.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

LÆta triumphales dic Musa Britannica pompas,
Festivos plausus, nec seclum finiet unum
Gaudia, quin Sero sint transmittenda Nepoti.
En nova progenies! tria quam Diademata Cœlis,
Et Patriæ pia vota, atque adduxere Parentum;
Vel solus sperate veni! (quem Numina Divum,
Vel tua te virtus, Britonum suffragia Regem
Fecissent) solium ne dedigneris avitum.
En placidi vultus, & fulgor Regius oris
Quam Regem ostendit? quam digna fronte coronæ
Multa Maria nitet, multus nitet ore Jacobus!
Tu puer, (Emeritus tandem Longævus, ad astra
Cum remeet Pater) imperium cum utraque Parentum
Majestate ornes: atque in te fulgeat uno
Celsa Stuartiadum Domus, in te fulgeat Esti.

Georg. Beaumont Coll. Nov. Soc.

TAndem læta dies, votisque optata Britannis
Affulsit, secum referens plausumque decusque;
Gentibus externis horrorem. En Regius Infans!
Vivat, & ingentes cumulet sibi semper honores,
Sit dubium belline magis pacisne peritus
Artibus; & patriis merito succedat habenis.
Dum cuncti imperio parent, ac jussa capessunt,
Saturno regnante adsint Saturnia regna.

Car. Mellish. C. C. C.
Sup. ordinis Commensalis.

LUcina officio functa est: jam turba Deorum
Cætera det Nato dona, Jacobe, tuo.
Pierides ludant circum cunabula Nymphæ,
Et circa augustum Gratia trina caput:
Utque inter cunas niteat redivivus Adonis,
Sit par fulgori, Cypria virgo, tuo:
Da Parmas, Bellona, leves gladiumque minacem;
Cecropia indulge murus utrumque Dea:
Tum serus metuendo armatus fulmine Princeps
Præsideat nostris Jupiter alter agris:
Quin tu virtutem tribuas, Jacobe; Gradivus
Majorem haud poterit, quam dedit ante tibi.

N *Car. Edwards* Mert. Coll.

In Natalem

DEficeret ſummo, Proles cum maſcula, Cœlo,
Et ſuperum fuerat gens caritura Deo;
Ediderat varios Rhea poſtquam uberrima partus,
Quos avido, teneros, ſorpſit amore, Pater,
Plena Deo tandem Curetum allabitur Oras,
Et ſacrum Ventris læta reponit Onus;
Hæc eſt feſta dies, & luce ſacratior omni
Cum Jove principium concipit Æra novum
Plurimus Infanti gaudet cum carmine Vates,
Arguto Corybas excipit ære Deum;
Debita tam charo capiti fert quæque Dearum
Munera, dat nugas Garrula Muſa ſuas.

Rad. Brideoake A. B. Coll. Nov. Soc.

VErum eſt? An vana ſpes ludit imagine fallax?
Deceptoſne movent noctis ludibria ſenſus?
Quæ nimis afficiunt, confundunt gaudia mentem.
Certum eſt; Non ſolito fervent præcordia motu,
Non dubio intravit pectus cum numine Phœbus,
Salve Magne puer, noſtris lux reddita terris,
Spes gentis, columen regni, patriæque, patriſque
Deliciæ, & populi poſt ſecula longa futuri,
Si non vana fides, & ſpe lactamur inani.
Macte ergo auſpiciis Princeps felicibus orte,
Et ſuperes virtute genus; ſit nullus avorum,
In ſerie tanta qui ſceptra Britanna tulerunt,
Major in Hiſtoria; nec ſis ſuperatus ab illo
Ad ſua qui domitos duxit moderamina Gallos.
Natalis tuus iſte dies per ſecla notetur,
Lætior accedat populo redeatque quotannis;
Denique cum Pater Auguſtas tibi tradet habenas,
Non armata Phalanx regnum tibi firmet & enſis;
Sed pietas, ſed relligio, atque innoxia virtus.

Rich. Willis Coll. Omn.
Anim. Soc.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

JAm pia vota valent, pacataqne Numina nostras
 Incassum fundi non voluere preces.
Principe jam populus, gaudet jam prole Jacobus,
 Cæsare lætatur terra beata novo.
Ite metus vani; sacrum periisse Stuartum
 Non potuit nomen, maxima cura Deum.
Ah Carolum pietate sua, virtute Jacobum,
 Et numero annorum vincat utrumque puer.

Jo. Davis A. B. è C. C. C.

O Diu Regis Populique, Princeps,
Vota, magnæ O Relliquiæ Stuartum!
Quem suis Ancile sacrum Britannis
 Numina donant:
Fertili Regum Puer O catena
Orte, cui cana serie superbit
Sanguis, affini Superisque virga
 Stemmatis ordo.
Tu, Puer, Regis soboles Parentis
Tuque Regina Genetrice natus,
Digne Sceptris Angliacis, Maria, &
 Digne Jacobo.
Grande quam Pignus Patriæ futurum!
Qualis atque Heros, operosa Fati
Cura! quam multis labor O Deorum
 Certus ab annis!
Qualiter classes Batavis timendas
Rexerat vindex pelagi Jacobus,
Tu reges classes iterum timendas
 Nate Jacobo.
Gallia rursum duce te triumphos
Miles in summa repetat Britannus:
Exul & Gallus Duce te reviset
 Rura paterna.
Victor invades iterum Caletum,
Interim Gallis columen Salusque:
Inter & Laurum tibi læta pacis
 Serpet Oliva.
Tu preces Matrum, simul & juventæ,
Tu Nepotum spes, eademque Natum
Te vident, olim ac reducem videbant
 Gaudia Patrem.

Andr. Crispe Merton. Coll.

ERige nunc tristes afflicta Britannia vultus,
Cæsaream toties questa labare domum;
Non ultra metues alieni pondera sceptri,
Nec dabis insolito colla premenda jugo;
Principis ipsa tuo cunas complecteris orbe,
Sola nec indigena est Creta superba deo.
Si Carolo Sobolem, regnaret ut ille, negarent,
Nequaquam infensos crede fuisse Deos;
Ille animo referet dotes utriusque capaci,
A Patruo clemens, à Patre fortis erit;
Sic olim pater Æneas & avunculus Hector
Nobile in Ascanio par micuere pio.
Vos, toties fusi, Belgæ graviora timete,
Nam sibi Jacobus prole superstes erit;
Quos vicit genitor, natus ditione tenebit,
Solus & assuescet ponere jura mari.
Nec poterunt iterum civilia bella renasci,
Miscet pro nato Principe turba preces.
Macte igitur Princeps, sed ne, Marcellus ut olim,
Spes populi longas, votaque falle tui;
Quin solium ascendas annis maturus avitum,
Atque Paterna tuas cingat oliva comas.

Guil. Buckeridge è C. C. C. A. B.

QUas tibi persolvent grates, Lucina, Britanni?
Structa tibi tangat Pyramis alta Polum;
Vel potius Baiis surgant tibi Templa dicanda;
Namque salutiferas tu colis urbis aquas:
Ah! quoties sedes istas Catharina petisset,
Tam fore fecundas si modo nosset aquas!
Sæpe Deæ natum lachrymis poscebat ad aras,
Respuit illius sed Dea surda preces;
At te, magne Puer, tanti fuit esse Monarcham!
Sceptra reservari Dii voluere tibi.

Christ. Mayne C. C. C.
Sup. Ordinis Commensalis.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

QUas ſterilis thalamus, quas deſperata propago
Regales, Jacobe, diu depreſſerat ædes
Gaudent prole nova, hac lætantur & omnia prole;
Dulcius ecce ſonant Muſarum, principe nato,
Chordæ, Tanti ortus quos non facit eſſe poetas?
Hunc tibi Cœlicolæ (nam tanto pignore dignus
Solus eras, ſolus, qui munera tanta deorum
Acciperes dignus) dant pro pietate paterna
Filiolum, antiqui regni, Virtutis avitæ
Hæredem, quem, ſero tamen, tua ſceptra manebunt.
Inde metus animus pellat, curamque futuri
Committat ventis, Jacobo ſceptra tenente,
Nam poſtquam longo ſatiatus munere regni
In cœlum ſerus migret, non deficit Alter
Aureus, & ſimili lætabitur Anglia rege!

Powys Coll. Omn. Anim.

SAlve Parenti jam nimium diu
Optata Proles Maxima Maximo:
Tandem fatigatos querelis
Compulerant pia vota Divos.

Salve querenti Sæpius Angliæ
Hærede tanto ſceptra carentia:
O una læti ſpes, & una
Sera licet populi voluptas!

Qualem ſub Arcti Sydere torpidi
Senſere Phœbum ſurgere montibus,
Gaudentque poſt longum rigentes
Sole novo caluiſſe vultus:

Te læta talem terra Britannica
Sentit, nec ortus tota minus tuos
Gratatur, influxuque gaudet,
Et radiis fruitur benignis.

Quæ tanta talem Sæcula Principem
Videre! talem qui genuit Parens!
O Rege felix orte tanto,
Mox alios geniture Reges!

Gul. Ford Nov. Coll. Schol.

O En!

In Natalem

EN! age Calliope, tuque ô mea tibia, quondam
Læta tuum Carolum canere, atque attollere fama;
Nec minus illuſtrem toties mirata Jacobum;
Seu timidi Belgæ disjecta claſſe per altum
Fugerunt, ſeu jam populi cecidere rebelles)
Incipe ſolennes mecum mea tibia cantus.
Filius ecce datur. Quid non ſperare licebit?
Filius ecce datur, jam magnus; nec minor illo
Quem ſuus in femore incluſum pater edidit orbi.
Ipſe ſpei pater impatiens, ſoboliſque futuræ,
Vix dum completo voluiſſet tempore, prolem
Erupiſſe utero. (Et credo infans ipſe volebat.)
Optavitque marem, & votis deus annuit iſtis.
At pia tam longi fallens faſtidia partus
Ter ternas genitrix numeravit in ordine Lunas,
Gaudebatque novis, atque obſervavit euntes.
Optavitque marem, & votis deus annuit iſtis.
Huc flores conferte breves, huc omnia dona!
Hic Veneri (puer) & Lucinæ lilia ſparge:
Sparge roſas, & dic, Lucinæ lilia ſpargo.
Ecce! aram pono Divæ, parientibus æquæ;
Illa duos Anglis quondam dedit alma Jacobos;
Jamque alium rurſus parit opportuna Jacobum:
Tandem ille & ſceptrum capiet, ſeroque paterna
Regna tenens, æquo flectet moderamine gentes.

Edmundus Chishull è C. C. C.

DUM precibus, Cæſar, nimium properantibus inſtas,
Et nati impatiens pignora ſæpe rogas;
Quam bene conſuluit melior tibi cura Deorum,
Quam bene ſe votis oppoſuere tuis?
Quæque juventutis primo ſub flore petebas
Intempeſtive dona; dedere ſeni:
Jam venit ſerum qui te producat in ævum,
Et referat totum Filius ore Patrem.
Admetum premeret cum lux Suprema, marito
Tradidit ætatem ſponſa coæva ſuam:
At teneri lætos pueri tu, Cæſar, in annos
Auſpicio migras ſub meliore ſenex.

Will. Woodyeare è Coll. Mert.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

INvocet Alter aquas Permeſſidos, & leve Numen
Parnaſſi, trahat Invitas in Carmina Muſas:
Quam Mallem veſtrum, Thermæ, ſentire calorem,
Inflarique iſtis quibus ipſa Puerpera lymphis.
Prodiga cum noſtro Te nuper Numina mundo
Præfecere Jacobe, quod ultra Altaria votis,
Laſſarem Superoſve Inopes ex munere Tanto
Non habui, Simplex explevit vota Jacobus:
At ne, quem precibus dederant, neglecta repoſcant
Numina, vota iterum inſtauro, Quid Grande Novumque
Exopto, precibuſque Vagis cœlum omne fatigo.
Stat dubius neſcitque Pari quo munere penſet
Jupiter orantem; tandem ſententia ſedit;
Cumque nihil majus, nihil illi auguſtius eſſet,
Munera prima iterat Similem mittendo Jacobum:
Quam juvat in puero patrios agnoſcere vultus,
Infantem Majeſtatem, Frontemque futuram!
Nunc primum Invidiam meruiſti Cambria noſtram;
Quod ſpreto Anglorum Titulo tibi mallet honores
Acceptos Princeps & Nomina tanta referre.
Sic, fama tradente, vetus ſuccenſuit orbis
Qnod Pater Ille Deum vellet Cretæus haberi.
Salve Sydereæ proles Auguſta Mariæ
Sydus & Ipſe future, ſed ipſum Serus honorem
Accipias, domitiſque prius Gallis Flandriſque
Pacatum moderere patris virtutibus orbem.

Tho. Terry Nov. Col. Soc.

UNanimes inter Muſas, lætoſque tumultus
Noſtra nec erubuit ſylvis prodire Thalia
Ut referat divum ſobolem divoſque futuros
Heroas, quamvis nimio couſuſa triumpho
Mens agitet præceps linguam, atque incondita promat,
Nec Deli ſpirem numen, ſacroſque furores,
At, dum Cæſarea eſt, non cedet Muſa Maroni.
Fama refert ſacro gravidam Dum pondere divam;
Cui peperiſſe dolet, ſterilem pudet eſſe Camœnam.
Concordi plauſu lætetur uterque Britannus
Ut cum prima ſui Jovis incunabula novit
Creta parens læto feſtiva remurmurat ore,
Et reſona ingeminat Corybas Cybeleius æra;

Sic,

Sic, ſic Parcarum gaudes ſarcire ruinas,
Et, Maria, Tuis noſtros lenire dolores.
Magnifici ſpes aucta tori
Qui vaga laſcivo regnas per prata volatu
Et putres glebas fœcundo rore maritas,
Quid Charites vernas ſic tardavere choreas?
Hunc expectabas, Pater O gratiſſime veris,
Florem? vix ante hunc nitido variata rubore
Emicuit Roſa, nec dum Turgeſcebat in herbas
Pingue ſolum; Regina, Tui præiſſe veretur
Fautricem partus Chloris jam victa Dianam.
Nunc ſileant vates longævi Neſtoris annos,
Mariæ partum plauſu tria Regna ſalutant,
Prorogat in ſeros hæc gaudia noſtra nepotes;
Tempora ſic revocat fato labefacta recenti
Non aliter reparanda ſui diſpendia ſecli
Nunc inter faſtos liceat, Rex Magne, futuros,
Non annos numerare Tuæ, ſed ſæcula vitæ.

R. Cock

Ædis Chriſti Alumnus.

EN Regina parit felici ſydere Prolem!
Talia det nobis ſydera ſæpe Deus.

Sis Bellona favens, ſis tu Tritonia Virgo,
Magne Puer gemina Pallade cinctus eas.

Ing. Nettleton A. B.
è Coll. Linc. Soc.

EN nitet invicti proles invicta parentis!
Naſcitur en patriæ ſpes columenque ſuæ!
Felix illa dies Auguſti conſcia partus,
Felix auſpiciis Anglia, Juno, tuis.
Sæcula fulgebunt radianti fauſta metallo,
Purpureaſque trahet Parca benigna colos.
Huic Regni Atlanti ſuperi dent Neſtoris annos,
In quo magna Patris fama ſuperſtes erit.

Rob. Newton
ex Aul. Cerv. Com.

Sereniss. Principis WALLIÆ

Dialogus.

Avarus senex. Corydon & Tityrus pastores.

A. NEcte, puer, flores, ignave, & pocula ferto,
Insanire lubet, vinoque expellere curas:
Quicquid habet nummi, multos constructa per annos,
Arca mea, insanus vita confectus, & annis,
Prodigus expendam; quid enim jam pondera nummi,
Aurea per totum redeant cum sæcula mundum?
Co. Quem procul, insani Sileni more, videmus
Saltantem, atque auri spargentem pondera fulvi,
Tityre, nonne hic est, tota, celebratus in urbe,
Sordidus, invisus populis, canibusque timendus,
Qui sibi vix panem dederit, seu vile legumen,
Queis humana sibi doleat natura negatis?
Tit. Verum: sed quid sit monstri, cum sordidus, æris
Prodigus evacuet saccos, vinoque sepultus
Gaudet idem, necnon, rebus, pinguescit, iisdem?
Pullos crediderim citius conjungere milvis,
Fluminaque elabi transversa cacumina montis:
Ergo accedamus; nam, causam exquirere, voto est;
Dic mihi, læte senex, quæ tandem causa serenæ.
Frontis? (certe aliquid magni; cum tibia vitam
Atque animam, senibus dederit, cum Nestora longa
Fistula commoveat, multoque foramine grata:)
Av. Heus ignare rogas? redeunt Saturnia regna,
Et nova progenies cœlo demittitur alto.
Tit. Progeniem dicis? peperit Regina Maria?
Av. Deliciæ humani generis, spes unica mundi,
Perpetuus patriæ dictator, & Arbiter orbis,
Defensor fidei; (faveant divique deæque)
Junonis soboles, vivit, Jovis incrementum:
Co. Nulla suum prædixerunt miracula partum:
Av. Mirac'lum nisi majus erat, quod nulla fuere.
Tit. Jam memini, Corydon, nuper cum flumina vidi,
Grex maris ad ripas, lymphis, Nymphisque relictis,
Se tulit, atque ultro terras petiisset, & auras:
Credibile est voluisse capi, captusque volebat
Victima, pro tanto, succumbere, munere, fato:
Co. Jam memini, nostræ nuper risere capellæ,
Riserunt hœdi, nec quicquam gratius illis,

Quam dulcis modulans, Ganymedis, tibia laudes:
Tit. Verum age jam, Neſtor, paucisque expandito verbis,
Qualia ſigna dedit vitæ, inſigniſque futuræ?
Av. Viſus Julus erat riſu agnoviſſe Parentes,
(Arriſere pii,) riſus iterare, Parentes,
Amplexuſque pios quærebat, & ubera Matris,
Agnovitque Patrem ſolum ſibi Judice vultu,
Eſſe parem; jamjam Majeſtas regia frontis
Hunc mundi dominum, dixit, Regemque futurum:
Dicitur in cunis vetus eliſiſſe, Dracones;
Noſter at in nido, ſuperaverit orbem.
Tit. Felix ante alias, felix nunc Anglia terras;
Ter puero felix; utinam modo dicere poſſem
Carmina digna ſatis, certe eſt hic carmine dignus:
Cor. Non centum linguæ, totidem nec carmine voces
Quid valeant; nec enim poſſis laudare Jacobum,
Nec ſobolem, centum niſi vocibus inſtet Apollo:
Tit. Sed fiet vates, noſtro ſub Apolline, picus
χαῖρε ſuum modulans, crepitans & carmine, Salve.
Cor. Vis prior, incipiam? nam ſentio plectra ſonora
Neſcio quid ſecum modulantia carmine dulci;
Tit. Hoc placet, incipias.
Cor. Aſpicis ut toto ſplendeſcant omnia mundo?
Aſpicis ut fontes flavis labantur arenis?
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem;
Sponte dabit tellus, tellus dabit omnia ſponte;
Dum regit Æneas, & cœli pignus Julus:
Tit. Aſpicis ut redeunt diſtentæ lacte capellæ?
Aſpicis ut campus neglectus præbet ariſtas?
Non linum patietur inops Iſis Thamiſiſve,
Sponte capi voluere, &, piſces, littora viſent,
Dum regit Æneas & cœli pignus Julus.
Omnes. Felices Angli; quibus hæc ſunt munera cœli,
Et pius Æneas, Dido pulcherrima mundi,
Et Puer Aſcanius, Patris, virtutis &, Hæres:
Sero fata vocent, Rex, & Regina, Beati,
Felix eſto puer; lætentur ſecula ſera,
Et (ſi non Deus es,) cum ſerus ad aſtra traharis,
Regia perſimili frondeſcat virga metallo.

Joh. Read è Coll. Exon. Com.

Sereniſſ. Principis WALLIÆ.

SAlve grata dies! Anglos jam nulla fatigat
Cura diu meliora petens, non anxia mentes
Spes agit, & longo tendit præcordia voto.
Reginæ jam longa novem faſtidia menſes
(Caſta laboranti faveat Lucina) tulerunt.
Jam felix oritur Proles, jam Regius Infans
Oblectat Patrias gratis vagitibus aures.
In vultu Infantis tua ludit imago, Jacobe;
Et ſerpit teneros Natura Paterna per artus:
Virtutes pnlchro radiant inque ore Paternæ.
Conveniunt proceres cuncti, legumque Potentes:
Miranturque novam ſuſpenſo lumine prolem.
Exultant reliqui geminatis vocibus Angli;
Atque ſonum pulſæ referunt ad ſydera valles.
Nec minor in cœlo chorus eſt, exultat uterque
Carolus accelerantque hymnis celebrare Nepotem.
Non fas eſt tanta naſci de ſtirpe puſillos
Macte ergo virtute; & fauſto Numine creſce:
Oſtendant ſacros miranda vel acta Parentes.
Quid potuere Dei nobis optatius æqui?
Cum demum æthereas (Diis vel cogentibus:) arces
Scandat, & æternum capiat Diadema Jacobus:
Maſculus Angliacis non deſit faſcibus Hæres:
Qui bene ſceptra gerat, ſacroſque attingat honores,
Pacatoſque regat Patriis virtutibus Anglos.
Accipiat Patris exemplum, tribuatque Nepoti:
Sic Stuartorum jam non delebile Nomen
Poſtera perpetui ducant in ſecula faſti.

Tho. Lutterell è Coll. Bal. Alumnus.

LAnguens nunc patitur tenebroſam Phœbus Eclipſin,
Et ſol obſcurat lumina priſca novus.
Nec mirum eſt, uni ſatis eſt ſol unicus orbi,
Terra ſimul ſoles non videt ulla duos.

Guil. Fielding Aul. B. Mar. Mag Com.

In Natalem

Ad Reginam.

UNdique lætitia Polus emicet, undique Tellus,
Ingeminet vario Carmina læta ſono;
Salve Diva Parens, Genialia pignora promis,
Pignora, quæ Angligenæ Gloria gentis erunt:
Quem Toties ſuperos precibus Votiſque petebas
Omine felici Naſcitur Ille Tibi.
Aſpice ut e Cunis blanditur ad ora Parentum;
Neſcio quid, facies Inſtar amoris habet;
Qualiter æternos renovant Iucendia Pullos,
Secla decem quoties Unica vixit avis;
Sic Patrum Virtus ſe in prole reſeminat, & ſic
Vivida Regalis flamma perennat Avi.

Ad Principem.

Salve Infans, Patriæ ſpes unica, gaudia tecum
Noſtra paris, dulces pariter naſcuntur amores;
Quid tua commemorem Natalis ſigna, quid altos,
Arcanoſque Poli repetam tibi carmine motus,
Aſtraque fauſta tuis Natalibus? omnia grata,
Omnia feliceſque tenent nunc candida Curſus
Sidera. Naſcentem Cœlo, te vidit ab alto
Sacra Cohors, Cantu & totum tremefecit Olympum,
Talis & attonitis Cœlo vox miſſa cucurrit;
Ponite Triſtitiam mentis, mea ſumite dicta
Angligenæ, quibus hæc Ingentia gaudia porto;
En genitus puer eſt! Lætos properate Triumphos;
Caſtigate malos mores, animoſque rebelles,
Sponte ſacer Princeps Venia deſignabitur omnes,
Et populo ſtatuet tranquillæ fœdera pacis,
Dixerat. arriſit leviter Cytherea, ſibique
Plauſit Hymen, Regina Deum magnuſque probavit
Jupiter, Ingenti tremuerunt Cærula Nutu.
Auribus O gratam lætantibus omine famam!
Siccine ais, Natus ne puer, quem vota Bonorum
Optavere, novo maturat Gaudia plauſu?
Immortalis eris, nec te tua fata morantur;
Non moritur, tali qui prole Reſeminat ævum.
Gratia ſumma Jovi magnoque ſecunda Jacobo,
Qui decus agnoſcit Virtutis, & annuit ultro,
Fiat ut Ingenuis Mæcenas, omnia cedunt
Juſtitiæ, & neſcit ſepeliri in pulvere Verum.

Hen. Northcote Baronetti Fil. è Coll. Exon. Com.

Sereniss. Principis WALLIÆ.

PUlchris ſtare diu negat inclementia Parcæ?
Eluſitve uterum, læſa Diana, Tuum?
Quæ cœlo fueras, Dea ſis fæcunda Britannis,
Primitias repetant aſtra, ſolumque Tuas.
Magna licet ſuperis per Te dedit Anglia, Partu
Hoc majus novit Te tribuiſſe nihil.
Naſcentique thronum Puero confirmat avitum
Et dicit regnum, Nate, tuere meum;
Protege Tu terras, famulantia ſidera nutus
Fraternos capiant, Terra Britanna Tuos.

Carter Ædis Chriſti
Alumnus.

CAſtalii latices ſacræ & Permeſſidos undæ
Ite, & cum veſtro, turba novena, Deo.
Ignotis Phœbus jam tandem illuxit in undis,
Nec Thermarum Helicon clarior exit aquis.
Hic Pæane ſuo fons gaudet, at iſte Jacobo:
Tantum alit hic juvenem, dum parit ille Deum.

Humph. Henchman
Coll. Mert. Schol.

EJa correpta cithara, Camœna,
Qua ſoles magnum reſonare Regem
Qui ſuos dextra placidus Britannos
Temperat æqua.
Jam parem magni ſobolem parentis
Lætius plectro cane: nos renidens
Jupiter cernit propiore viſens
Numine gentem.
Ille, qui prolem toties rogavit
Aſtra Jacobus, totieſque votis
Excidit, tandem tenet hic, Tonante
Auſpice Natum.
Orbibus cœlum reſonat canoris:
En! novas Muſæ inſtituunt choreas:
En! chelyn tendit meliore plectro
Phœbus Apollo.

Walt. Walch
è Coll. Mert. Commenſ.

In Natalem

QUas Rhydicina diu voluit, tandem Aſpice cunas,
En tandem Angliaci pignora Sacra Jovis!
Sæpe, Jacobe, tibi ſoboles, tibi ſæpe, Maria,
Et fuit in votis, Anglia, ſæpe tuis:
Diximus O quoties ſuperos non eſſe benignos,
Se quoniam votis oppoſuere piis?
Ceſſit ut in tantos divina potentia partus,
Inſpexit proprium plena ſtuporis opus.
Materiam Heroes ſubeunt ſacrioris acervi,
Perficere haud cœlum magna repente poteſt.
Sed longæva manent, quæ non crevere repente,
Hinc fatum Princeps accipe Magne tuum.

Guil. Hunt Coll. Mert. Schol.

HEnrici flevere diu juga Wallica fatum
Henrico tandem non minor ecce Deus!
Sed tamen heu! deerit qui laudes numinis æquet;
Ruſtica Divinum non ſapit aura melos.
Eſto: degeneres partus Jovis improbat ales,
Cui Phœbus pater eſt, ille Coræbus erit?
Qualem credamus prolem, cui Diva Maria
Sit Mater? talem te puto, magne puer.

Tho. Pricket. Coll. Mert. Schol.

VIſa parum eſt, Superi, duris exercita fatis
Regia progenies? toties renovare dolores
Nondum ſopitos placuit? quo crimine læſos
(Cum vix contigerat vitali veſcier aura)
Tot teneras animas placuit merſiſſe tenebris?
Scilicet invidiam patria detruſus ab ora
(Ipſe imberbis adhuc) nequaquam territus, heros
Movit, & impulſus duros iterare labores
Invicti patiendo Patris veſtigia legit.
Quantum viſa fuit virtus innata Jacobi,
Tunc ubi fulminibus fraternum vindicat ardens,
Imperium, Batavæ miſcens incendia claſſi,
Amplexus Fratris redimitus tempora circum
Lauro, dum repetit ſpolioque ſuperbus Opimo,
Credendum eſt tantis Vos invidiſſe triumphis,
Cœleſtes animæ? ſed mens infracta periclis
Quid ſibi non poſcat? flectuntur numina tandem,

Tarda

Tarda licet? tandem concessit candidus Æther
Prolem, sed dono sapiens & Justus in uno
Distulit in seram solatia tanta senectam.
Salve Magne Puer! jamjam tibi sidera gaudent
Servire, ad medium properans sol fervidus orbem
Urget equos, summumque ardet contingere culmen,
Ut plenis radiis, (venturi conscius ævi)
Illustret tanti Nascentis Principis Ortum.
Jamjam infans lætus suspirat ad oscula Matris,
Quæ Natum fusis circum complexa lacertis,
Dum vultu in parvo cupidos depascit ocellos,
Et certa agnoscit Magni vestigia Patris,
Afferit amplexu toto, & nova basia libat.
Dextera quæ Matris nunc tractat mollior ulnas
Mox poscat gladios, teneros vix edere planctus
Novit adhuc lingua, qua mox fremat arma, tenellus
Vos modo Dii superi sacras defendite cunas;
Hunc, precor, hunc puerum ne tantum ostendite terris.
Tu quoque, Tu Gentis columen, quo pendet ab uno
Gloria, & Augusti spes inclinata Jacobi;
Tu, cum maturus plenis adoleveris annis,
Fortia Magnanimus repetens exempla Tuorum,
Edvardosque, Patrem & Natum, duo fulmina belli
Miraris, passim dum sternunt agmina Galli,
Fratrem etiam Auriacum, tumidas qui contudit oras
Celtarum imberbis Juvenis, spoliisque superbas
